










LOAN STACK



THEOLOGIA

DOGMATICA ET MORALIS.

Propriété.

LONS-LE-SAUNIER, IMPRIMERIE ET LITHOGRAPHIE DE A. ROBERT.

THEOLOGIA

DOGMATICA ET MORALIS

AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE

J. J. FRAIGNIER


S. THEOLOGIÆ PROFESSORE IN SEMINARIO LÆDONENSI

(DIOECES. SAN-CLAUDIENSIS).

Opus revisum et auctum à Professoribus ejusdem Seminarii.

DE EXPOSITIONE THEOLOGICA.

DE DOGM. IN GENERE, — IN SPECIE : DE TRINITATE, DE PROVIDENTIA, DE SACRAM. IN GEN.



LÆDONE,
IN MAJORI SEMINARIO.
PARISIIS,
APUD J. LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,
Viâ vulgò dictâ du Vieux-Colombier, 29.

MDCCCLV.

DE EXPOSITIONE THEOLOGICA.

Theologia, ut diximus in notionibus prævìis, est *scientia Religionis*.

Religio autem est: *collectio mediorum quibus homo à Deo dirigitur ad finem ultimum.*

Undè tota expositio theologica versatur circa cognitionem mediorum quæ Deus instituit ut homo ad suum finem dirigatur.

Cùm autem cognitio mediorum supponat cognitionem finis, prævië nobis inquirendum est: utrùm homo habeat finem ultimum, et quisnam sit iste finis; deindè ulteriùs examinandum utrùm Deus instituerit, et quænam instituerit media ad dirigendum hominem ad finem ultimum.

Harum quæstionum solutio, ut videre est, expositioni theologicæ logicè præmittenda est.

QUÆSTIO I.

UTRUM HOMO HABEAT FINEM ULTIMUM; ET, IN HYPOTHESI AFFIRMATIVA, QUISNAM SIT ISTE FINIS?

Prænot. — Hoc verbum *finis ultimus* in duplici sensu intelligi potest, scilicet 1° de fine *facti*, et significat bonum ad quod voluntas ultimò tendit, 2° de fine *juris*, et designat ens ad quod homo ultimò ordinatur, et tendere debet. Hic agitur de fine *juris*.

Pro diversis respectibus sub quibus consideratur, finis ultimus hominis definiri potest 1° *ens ad quod homo ultimò ordinatur.* — Ens ad quod homo ordinatur: In mundo per sapientiam infinitam disposito, inferiora ad superiora ordinantur, et entia superiora sub illo respectu considerata dicuntur *finis* inferiorum. Sic creaturæ inferiores ad hominis bonum ordinantur, et homo dicitur *finis*, saltem mediatus, creationis. — Ordinatur ultimò: Ens enim ordinari potest ad plures fines, ità inter se dispositos, ut gradatìm tendant ad finem extremum; *ultimus* appellatur finis ad quem ordinantur fines intermedii.

Finis ultimus definiri potest 2° *bonum cujus possessio homini confert eum perfectionis et beatitudinis gradum cujus est capax.*

Quibus positis,

Ad 1^{am} quæst. part., scilicet: *Utrùm homo habeat finem ultimum?*

Resp. Homo habet finem ultimum. Secùs 1° homo esset inutilis; inutile enim dici debet ens quod nullam habet destinationem. Secùs 2° omnes hominis actiones essent moraliter indifferentes; siquidem actionis bonitas oritur ex ejus coordinatione, et malitia ex ejus oppositione cum fine.

Habet finem ultimum in duplici sensu definito, seu

1° Homo ordinatur ad ens superius: hæc est enim lex sapientiæ divinæ, quæ hominem creavit, ut inferiora ad superiora ordinentur, ut patet ex relationibus existentibus inter omnia entia creata.

2° Homo destinatur ad possessionem boni per quod perficiatur et beatificetur; — per quod perficiatur:

facto enim constat Deum creâsse hominem perfectibilem; Deus ergo vult hominem perfici, alioquin perfectibilitas esset homini inutilis; proindè hominem destinavit ad possessionem boni quo perficiatur; — per quod beatificetur: siquidem Deus indidit omnibus hominibus desiderium constans et invincibile perfectæ beatitudinis; ergo Deus hominem destinavit ad possessionem boni beatificantis, alioquin hominem deciperet, quod impossibile est.

Ad 2am quæst. part., scilicet: *Quisnam sit finis ultimus hominis?*

Resp. Finis ultimus hominis est Deus, quatenùs cognoscendus per visionem intuitivam, et amandus per amorem beatificum; seu, quod idem est, quatenùs summa Veritas, supremumque Bonum.

Prob. per part. — 1a *p.* Finis ultimus hominis est *Deus:*

Res ità est, si Deus hominem ultimò non ordinaverit, imò non potuerit ordinare ad creaturam; si sola possessio Dei possit hominem plenè perficere et beatificare. Atqui

1° Deus non ordinavit hominem ad creaturam: Nam 1. Prov. 16, 4: *Universa* (proindè hominem) *propter semetipsum operatus est Dominus.* 2. I Cor., 10, 31: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Undè sic: omnes actus hominis ad Deum dirigendi sunt; ergo Deus, non verò creatura, est finis ultimus hominis, exigit enim ordo ut motus et actus entis ad finem dirigantur.

Imò Deus non potuit ordinare hominem ad creaturam: Quia 1. Deus debet in actibus sibi proponere

finem ultimum seipso dignum; porro creatura non esset finis ultimus Deo dignus, cùm Deus possit sibi proponere finem dignitate infinitè superiorem, scilicet seipsum. Quia 2. finis est medio superior; ergo, si Deus hominem ultimò ordinàsset ad creaturam, actionem suam creatricem, ac proindè semetipsum ad creaturam ordinàsset, proindè submisisset; quod repugnat infinitæ Dei dignitati.

2° Sola possessio Dei potest hominem plenè perficere et beatificare. Hæc propositio supponit Deum ab homine posse possideri; — affirmat possessionem Dei posse hominem perficere et beatificare; — solam Dei possessionem posse perficere et beatificare hominem. Vera est proindè, si hæc tria sint certa. Atqui,

1. Homo potest Deum possidere: Intellectus possidet objectum suum per cognitionem, et voluntas per amorem; porro intellectus humanus potest cognoscere Deum, et voluntas humana potest amare Deum: hæc facto constant.

2. Possessio Dei potest hominem perficere et beatificare. — Potest perficere: perficiuntur enim facultates per possessionem objecti earum naturæ accommodati. Ergo intellectus perficitur per cognitionem veritatis; proindè summum perfectionis gradum sibi possibilem acquirere potest per cognitionem Dei qui est summa Veritas. Item perficitur voluntas per amorem boni, proindè ultimum perfectionis gradum sibi possibilem attingere potest per amorem Dei, seu summi Boni. — Potest beatificare: homo enim beatificatur per possessionem boni perfectè satiantis appetitum ejus facultatum; porro per cognitionem Dei, summæ Veritatis,

satiari potest appetitus intellectûs ad veritatem; per amorem Dei, Boni supremi, appetitus voluntatis ad bonum.

3. Sola possessio Dei potest hominem plenè perficere et beatificare: Plena enim non est perfectio et beatitudo, cui aliquid addi potest. Porro perfectioni et beatitudini acquisitæ per possessionem creaturæ aliquid addi potest; cùm, ex unâ parte, homo possit Deum possidere per cognitionem et amorem, ut suprà diximus; cùm, ex alterâ parte, perfectio et beatitudo manans ex possessione Dei sit essentialiter major quàm perfectio et beatitudo orta ex possessione creaturæ.

2ª *p.* Finis hominis est Deus, *quatenùs cognoscendus et amandus:*

Nam 1° homo ordinatur ad Deum, ut modo humano ipsius gloriam procuret; porro per cognitionem et amorem tantùm homo potest gloriam Dei humano modo procurare. — Et primò quidem, per hos actus Deum glorificat humano modo. Siquidem proclamat Deum esse summam Veritatem, supremumque Bonum, per actus facultatum hominem intrinsecè constituentium, scilicet per intellectum et voluntatem. — Per alios autem actus, nisi procedant ab intellectu et voluntate, potest quidem Deum glorificare, sed more entium ratione et voluntate privatorum, non verò modo humano.

2° Ut Deus perficiat et beatificet hominem, requiritur ut ab homine possideatur. Porro homo Deum possidere non potest, nisi per cognitionem, quæ conjungit intellectum cum Deo, summâ Veritate, et per amorem quo conglutinatur cum Deo, supremo Bono.

3ª *p.* Finis hominis est Deus, quatenùs cognoscendus *per visionem intuitivam*, et amandus *per amorem beatificum:*

Ad quod intelligendum, duplex distingui potest cognitio, seu visio Dei, abstracta scilicet, et intuitiva. Cognitio *abstracta* est cognitio Dei per notiones, quales habemus in hâc vitâ, medio revelationis et rationis: dicitur abstracta, quia notiones per quas Deum videmus quasi abstrahuntur à substantiâ divinâ. Cognitio autem *intuitiva* est visio Dei immediata, seu facie ad faciem, non verò per notiones intermedias.—Item duplex amor distinguitur, scilicet 1. amor manans ex cognitione abstractâ; 2. amor visione intuitivâ productus, qui dicitur amor *beatificus*, quia ex eo procedit beatitudo Dei, Angelorum et Beatorum. Quibus positis,

Affirmamus 1° finem ultimum hominis esse Deum, quatenùs potest cognosci per visionem intuitivam; seu, quod idem est, hominem destinari ad visionem intuitivam.

Pr. 1ª. *Script.* I Joan., 3, 2: *Nunc filii Dei sumus, et nondùm apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* I Cor., 13, 12: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Ergo 1. beati in alterâ vitâ erunt similes Deo, quoniam videbunt eum sicuti est; id est, *similes* (non æquales) Deo quoàd visionem Dei, porro Deus seipsum videt intuitivè. Ergo 2. in alterâ vitâ jàm non videbimus Deum per speculum in ænigmate, sed modo perfectiori, id est, facie ad faciem. Ergo 3. non videbimus

Deum ex parte, sed eum cognoscemus sicut ab eo cognoscimur, porro cognoscimur intuitivè.

Pr. 2a. *Fide Ecclesiæ.* Dogma vitæ æternæ continetur in Symbolo Apostolorum; dogma vitæ venturi sæculi, in symbolo Nicæno. Hanc veritatem homo fide divinâ credere tenetur. Ergo certum est hominem destinari ad visionem intuitivam, si hæc verba *vita æterna, vita venturi sæculi,* designent visionem intuitivam. Atqui hoc constat consensu omnium theologorum et fide Ecclesiæ.

Pr. 3a. *Doctrinâ Eccles.* Benedictus XII, in Bullâ *Benedictus Deus,* et Concilium Florentinum in Decreto unionis docent *animas purgatas in cœlum mox recipi, et intueri clarè ipsum Deum Trinum et Unum.*

Affirmamus 2o finem ultimum hominis esse Deum, quatenùs amandus est amore beatifico; seu, hominem destinari ad amorem beatificum.

Siquidem amor Dei sequitur ex cognitione Dei, et cum naturâ visionis debet habere proportionem. Proindè ex visione intuitivâ, quæ est modus cognitionis perfectissimus, necessariò sequitur amor intensissimus, qui à theologis appellatur *amor beatificus.*

Corollaria. Ex dictis sequitur 1o Deum, quatenùs cognosci et amari potest, seu quatenùs est Veritas et Bonum, esse necessariò finem hominis. Hæc enim relatio hominis ad Deum necessariò sequitur ex naturâ Dei et hominis.

2o Visionem intuitivam et amorem beatificum non esse finem essentialem et debitum homini. Homo enim posset Deum cognoscere et amare, ac proindè finem obtinere, per cognitionem abstractivam et amorem huic

cognitioni respondentem. Proindè destinatio ad visionem intuitivam et amorem beatificum est indebita, et supernaturalis, seu excedens capacitatem naturalem hominis.

3° Perfectionem et beatitudinem homini possibiles præcipuè constitui visione intuitivâ et amore beatifico. — Dicimus : *præcipuè ;* nam beati in cœlis, non solùm fruuntur visione intuitivâ et amore beatifico, sed donantur adhuc aliis perfectionibus secundariis, v. g. immortalitate, claritate, agilitate corporis, etc., de quibus alibi.

QUÆSTIO II.

UTRUM DEUS INSTITUERIT MEDIA AD DIRIGENDUM HOMINEM AD SUUM FINEM ; ET, IN HYPOTHESI AFFIRMATIVA, QUÆNAM SINT ISTA MEDIA ?

Ad 1am q. part., scilicet : *Utrùm Deus instituerit...?* *Resp.* Affirmativè.

Prob. 1a. Omnium entium evolutio et perfectio pendent à quibusdam conditionibus ; aliis verbis, omnia entia per media propria diriguntur ad suum finem. Ergo à pari perfectio hominis, seu obtentio ejus finis, pendet etiam à quibusdam conditionibus, seu mediis, nisi contrarium constet : Deus enim præsumitur agere secundùm leges generales. Porro contrarium non constat.

Prob. 2a. Gen., 15, 1 : *Ego.... sum..... merces tua magna nimis.* Luc., 13, 24 : *Contendite intrare per angustam portam...* Matth., 11, 12: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Ibid., 19, 17: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Undè sic : vita æterna, seu visio intuitiva, est merces, ergo supponit

meritum; supponit violentiam contra inimicos salutis, observationem mandatorum; proindè obtentio finis pendet à conditionibus. Ergo.

Prob. 3ª. Juxta fidem et doctrinam Ecclesiæ, hi soli vitam æternam consequi possunt, qui omni maculâ peccati sunt exempti; proindè obtentio visionis intuitivæ supponit vitationem peccati, vel purificationem à peccato; proindè pendet à conditionibus. Ergo.

Ad 2am q. part., scilicet: *Quænam sint ista media?*

Resp. Media quibus Deus hominem ad suum finem dirigit respondent naturæ finis quem enti à se creato assignavit, et triplici facultatum generi quibus hominem dotavit.

1° Deus, summa Veritas, hominem creavit *intelligentiâ* præditum, eum destinavit ad visionem intuitivam. Hominem intelligentiâ præditum ad suum finem dirigit Deus medio legum, quæ humanæ intelligentiæ veritates credendas imponunt. Hinc Apostolus ad Hæbr. 1, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo*, proindè salutem obtinere. Et Conc. Trid., sess. 6, cap. 7: *Sine fide nulli unquàm contigit justificatio*, proindè salus.

2° Deus, Bonum supremum, hominem creavit *voluntate* et *activitate* præditum, eum destinavit ad amorem beatificum. Hominem voluntate et activitate præditum ad suum finem dirigit Deus medio legum quæ facienda proponunt. Ait enim Christus, Matth., 5, 20: *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et, ibid., 7, 13: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Et, ibid., 19, 17: *Si vis*

*

ad vitam ingredi, serva mandata. Similiter et Apostolus, Rom., 2, 13: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Idem definivit Conc. Trid., sess. 6, can. 21: *Si quis dixerit Christum Jesum hominibus datum fuisse ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit.*

Ex dictis constat hominem à Deo ad finem ultimum dirigi medio regularum sive intelligentiæ, sive voluntati et activitati suæ impositarum. Circa regulas prædictas versatur totum theologicæ scientiæ objectum.

Cùm autem regulæ prædictæ in diversas species distinguantur, expositio theologica in diversas dividitur partes, quæ speciales accipiunt denominationes pro diversis regularum speciebus. — Regulæ quæ hominis intelligentiæ veritates credendas imponunt dicuntur *dogmaticæ*, et pars theologiæ quæ prædictas regulas exponit dicitur *theologia dogmatica.* — Regulæ quæ voluntati et activitati humanæ facienda proponunt, in diversas etiam classes dividuntur: aliæ oriuntur immediatè à Deo, et pars theologiæ quæ de istis pertractat dicitur *theologia moralis* strictè sumpta. Aliæ oriuntur à Deo mediatè, seu imponuntur per potestates divinitùs ordinatas, scilicet per potestatem ecclesiasticam et per potestatem civilem. Istarum cognitio sub multis respectibus pertinet etiam ad theologiam moralem, ut in decursu theologicæ expositionis patebit; sed, cùm istæ leges sint objectum scientiarum specialium, scilicet Juris canonici et Juris civilis, de his per accidens tantummodò tractabimus.

Hinc ultimò expositio theologica duas complectitur

partes, *dogmaticam* scilicet et *moralem*, quarum prior de regulis intelligentiæ, posterior de regulis voluntati et activitati humanæ impositis agit.

Nota. Regulæ, sive dogmaticæ, sive morales, omnes quidem simul attingunt et debent dirigere facultates hominis ; nihilominùs, ratione finis utrique regularum generi proprii, inter se differunt. Siquidem regulæ dogmaticæ ultimò directionem præbent intelligentiæ, dùm regularum moralium finis ultimus sit directio voluntatis et activitatis humanæ.

Utriusque generis regulæ considerari possunt in genere et in specie. Undè dicendum 1° de *dogmate* 1. in genere, 2. in specie ; 2° de *morali* 1. in genere, 2. in specie.



DE DOGMATICA.

I. DE DOGMATE IN GENERE.

Dogmatica definiri potest : *scientia regularum actûs fidei.*

Undè sub titulo præsenti dicendum de proprietatibus generalibus actûs fidei ejusque regularum.

Porro actus fidei ejusque regulæ considerari possunt *absolutè* et *relativè*. Undè titulus triplex : 1° de actu fidei absolutè considerato, 2° de regulis actûs fidei absolutè consideratis, 3° de relationibus generalibus actûs fidei cum suis regulis.

CAPUT I.

DE ACTU FIDEI ABSOLUTÈ CONSIDERATO.

Sub titulo præsenti tractandum : 1. de naturâ et conditionibus ; 2. de possibilitate ; 3. de proprietatibus absolutis actûs fidei.

ARTICULUS I.

De naturâ et conditionibus actûs fidei.

§ 1. — De naturâ actûs fidei.

Quær. *Quænam sit natura actûs fidei?*

Resp. Fides in genere est : *adhæsio firma mentis cuidam veritati propter testimonium.*

Fides hoc sensu generali sumpta diversa est pro diversis testimoniis quibus innititur assensus. Est *divina*, *ecclesiastica*, *humana*, proùt testimonium per quod determinatur adhæsio mentis est divinum, ecclesiasticum, humanum. — De fide merè humanâ agere non intendimus.

Fides *divina* est habitualis aut actualis, proùt spectatur ut *virtus* aut *actus*.

Fides *habitualis* est : virtus supernaturalis et infusa quâ mens inclinatur ad adhærendum firmiter veritatibus à Deo revelatis et pro talibus certò cognitis, propter testimonium revelantis Dei summè veracis.

Dicimus : fides habitualis est — *virtus :* seu habitus disponens et inclinans ad bonum ; — *supernaturalis :* quoàd originem, in se, quoàd finem, ut alibi probabitur; — et *infusa :* id est non acquisita per actus repetitos hominis, sed immediatè à Deo in animâ per operationem supernaturalem deposita ; — *quâ mens inclinatur :* virtus enim naturâ suâ inclinat ad bonum ; — *ad adhærendum :* fides enim est adhæsio mentis ; — *firmiter :* id est absque ullâ suspicione, dubitatione voluntariâ ; — *veritatibus à Deo revelatis :* siquidem solæ veritates à Deo revelatæ possunt esse objectum fidei divinæ ;— *et pro talibus certò cognitis :* veritas enim divinitùs revelata non potest fieri objectum fidei divinæ, nisi de divinâ hujus veritatis revelatione certò constet ;—*propter testimonium Dei revelantis :* alioquin non adesset fides divina.

Fides *actualis*, seu actus fidei est : assensus super-

naturalis firmissimè datus veritatibus à Deo revelatis, et pro talibus certò cognitis, propter testimonium revelantis Dei summè veracis.

Fides divina actualis dividitur 1° in fidem *merè divinam* et in fidem *catholicam*. In eo utraque convenit, quòd utriusque objectum sit veritas à Deo revelata, cui mens adhæret propter testimonium Dei revelantis. Fides autem merè divina à fide catholicà differt in eo quòd pro fide merè divina sufficiat certitudo de revelatione veritatis credendæ, qualis v. g. adesse potest in revelatione *immediatà*; dùm pro fide catholicà non sufficiat talis certitudo, sed insuper requiratur propositio veritatis per Ecclesiam.

Dividitur 2° in implicitam et explicitam. Dicitur *explicitus* actus fidei quo mens adhæret cuidam veritati distinctæ et in se consideratæ, v. g. credo Sanctorum communionem. *Implicitus* autem dicitur actus fidei quo mens adhæret veritatibus revelatis generatim, non autem in se et distinctè consideratis. Sic qui dicit: credo quidquid revelavit Deus et docet Ecclesia catholica, elicit actum fidei implicitæ de omnibus veritatibus revelatis, etiam de his quas fuisse revelatas ignorat.

Fides *ecclesiastica* est: firma mentis adhæsio cuidam veritati, non quidem in verbo Dei contentæ, sed ab Ecclesià infallibiliter definitæ, propter testimonium infallibilis Ecclesiæ.

§ II. — De conditionibus actûs fidei.

De conditionibus 1° fidei divinæ catholicæ, 2° fidei simpliciter divinæ, 3° fidei ecclesiasticæ.

Aliæ sunt *extrinsecæ* et præviæ, aliæ sunt *intrinsecæ* et constitutivæ.

I. De conditionibus extrinsecis et præviis.

Quær. *Quænam sint conditiones extrinsecæ et præviæ actûs fidei catholicæ?*

Resp. Duæ requiruntur conditiones præviæ.

1ª *Cond.* Requiritur convictio legitima de sequentibus veritatibus : Existit Deus, Deus est verax, hominibus locutus est, verbum Dei continetur in Scripturis et Traditione, Deus constituit auctoritatem quamdam infallibilem ut verbum suum hominibus transmitteretur et explicaretur, Ecclesia catholica est illa auctoritas divinitùs instituta ; — quæ convictio in mente producitur, extraordinariè per immediatam operationem Dei, ordinariè per motiva rationalia quibus prædictæ veritates fiunt credibiles.

Prob. per part. Requiritur convictio de veritatibus superiùs enuntiatis : Fides enim catholica non est, nisi mens credat veritatem ab Ecclesiâ propositam esse divinitùs revelatam ; porro convictio sufficiens ut mens adhæreat huic propositioni « *veritas ab Ecclesiâ proposita est divinitùs revelata* » supponit præviam convictionem de cæteris notionibus superiùs enuntiatis.— Requiritur convictio legitima : Fides enim debet esse rationabilis, seu mens absque ratione et imprudenter credere non debet, juxta illud Apostoli Rom., 12, 1 : « *Rationabile obsequium vestrum.* » — Quæ convictio potest extraordinariè in mente produci per immediatam Dei operationem : hoc negari non potest, quin arbitra-

riò limitetur summa Dei potentia.—Ordinariè prædicta convictio in mente producitur per motiva rationalia quibus prædictæ veritates fiunt credibiles : hoc facto constat. Aliundè ista motiva rationalia in se habent efficaciam determinandi convictionem, et trahendi mentis assensum, ut vidimus ubi *de locis theologicis.*

Observ. 1° Motiva rationalia credibilitatis non excludunt operationem gratiæ, quæ suam efficaciam propriam potest addere vi motivorum ad determinandum mentis assensum veritati credendæ.

2° Rationes et argumenta quibus probantur notiones fidei præviæ possunt percipi modo plùs minùsve completo, plùs minùsve claro et scientifico, pro captu intellectuali subjecti à quo elicitur actus fidei.

2ª *Cond.* Requiritur causa supernaturalis excitans et adjuvans mentem ut adhæreat debito modo veritati credendæ; quæ causa est, partìm fides habitualis in eis qui fidem habitualem habent, semper et in omnibus gratia actualis.

Prob. p. part. Requiritur causa supernaturalis : Ad quemlibet enim actum requiritur causa proportionata naturæ actûs producendi. Porro actus fidei debet esse supernaturalis, cùm actus fidei sit medium ad finem supernaturalem; proindè, cùm actus fidei superet vires naturales hominis, non potest elici, nisi excitante et adjuvante causâ supernaturali. — Quæ causa est, partìm fides habitualis, in eis... Fides enim habitualis est habitus inclinans ad actum fidei; porro inclinatio est, saltem quoàd partem, causa actûs. — Semper et in omnibus gratia actualis est causa : hoc evidens est quoàd homines qui non habent habitum fidei; siqui-

dem ad eliciendum actum fidei requiritur causa supernaturalis, porro nulla alia, præter gratiam actualem, in istis hominibus operari potest, cùm ex hypothesi, absit fides habitualis. Hoc est etiam verum quoàd homines qui fidem habitualem habent; siquidem inferiùs, ubi *de Gratiâ*, probabitur hominem non posse sine gratiæ interioris auxilio ne fidei quidem initium habere.

II. De conditionibus intrinsecis et constitutivis.

Quær. *Quænam sint?*

Resp. Aliæ requiruntur ex parte subjecti, aliæ ex parte objecti, aliæ ex parte motivi.

1° *Ex parte subjecti:* Requiritur adhæsio firma, duplicem includens actum, libertatis scilicet et intelligentiæ.

Prob. Requiritur adhæsio: hoc evidens est, ex definitione actûs fidei; — adhæsio firma, seu excludens omne dubium: alioquin adesset merum dubium aut mera opinio, proùt propositio contradictoria menti appareret æquè probabilis, plùs minùsve probabilis; — includens actum libertatis: objectum enim fidei, quatenùs sumitur ut objectum fidei, debet esse obscurum, ut infrà dicetur; proindè, cùm assensus præstari nequeat propter evidentiam rei, determinandus est actu libero voluntatis; — includens actum intelligentiæ: siquidem requiritur actus voluntatis liber, porro actus voluntatis propriè dictus supponit cognitionem præviam, secùs esset actus instinctivus, non verò liber.

2° *Ex parte objecti:* Objectum fidei catholicæ debet esse: veritas in verbo Dei (in Scripturâ aut Traditione) contenta, veritas obscùra et ab Ecclesiâ proposita tanquàm à Deo revelata.

Prob. p. p. 1ª. Objectum debet esse : veritas in verbo Dei contenta, seu à Deo revelata : Alioquin non adesset fides divina, solas enim veritates à Deo revelatas mens potest credere propter testimonium Dei.

2ª *p.* Veritas debet esse *obscura;* id est veritas, cui assensus debetur propter revelationem, debet esse obscura et inevidens : Siquidem 1. fides debet esse libera et meritoria, proindè requirit imperium voluntatis ; porro nec libertas, nec proindè meritum locum haberent, si de veritate adesset evidentia, quæ necessariò rapit assensum. 2. D. Paulus, Hæbr., 11, 1 : *Est autem,* inquit, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Undè S. Gregorius papa, hom. 26 in Evang. n. 8: *Profectò liquet quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt: quæ etenim apparent jam non habent fidem, sed agnitionem.* Idem Greg., hom. 26 n. 1 : *Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum.* Et S. Athanasius, contr. Apollin. l. 2, de salut. advent. Christi, n. 11: *Neque enim fides evidenter apparens fides dici poterit; verum fides est quæ quod impossibile est* (apparenter) *in potentiâ... esse credit.* Item S. Aug. et alii PP.

Controvertitur autem utrùm objectum fidei necessariò debeat esse obscurum, seu utrùm possit esse objectum fidei veritas revelata quæ aliundè evidenter cognoscitur cognitione naturali?

Docent Thomistæ actum fidei esse impossibilem, nisi veritas sit omninò obscura, non quidem absolutè, sed relativè ad subjectum à quo eliciendus est actus. Juxta eos fides et scientia non possunt stare simul in

eodem intellectu circa idem objectum. Cæteri autem theologi, quorum sententia probabilior nobis videtur, sentiunt fide divinâ credi posse veritatem revelatam, quæ aliundè evidenter cognosceretur. Licèt enim subjectum per scientiam percipiat veritatem, huic veritati potest assentire unicè propter Dei revelantis auctoritatem, abstrahendo à suâ scientiâ. In hoc etiam casu, quamvis veritas sub uno respectu sit scientificè clara, sub altero respectu, seu quatenùs est objectum fidei, permanet obscura, saltem quoàd factum revelationis. Siquidem testimonia quibus probatur existentia veritatis revelatæ, nunquàm reddunt hanc veritatem evidenter veram, sed tantùm evidenter credibilem.

3ª *p*. Veritas debet ab Ecclesiâ proponi tanquàm revelata, aliis verbis, veritas debet proponi ab auctoritate ecclesiasticâ cujus infallibilitas circa veritatem definitam rejici nequeat absque hæresi. Siquidem ut veritas quædam de fide divinâ catholicâ sit credenda, requiritur ut divina hujus veritatis revelatio certò innotescat per medium infallibile et universale, seu pro omnibus hominibus constitutum. Porro sola Ecclesia catholica gaudet tali privilegio, ut vidimus ubi *de Ecclesiâ*.

Observ. Hæc veritatis publica propositio per Ecclesiam sequenti modo semper fieri debet. Requiritur judicium publicum, quo tanquàm divinos ac revelationem continentes proponantur fontes è quibus depromitur veritas credenda. Hoc sufficit, si clarus et apertus sit sensus veritatis in fontibus expressæ. Alioquin, si veritatis sensus sit obscurus et ambiguus, insuper definiendus est, tùm fide universali Ecclesiæ, tùm positivâ decisione.

3° *Ex parte motivi* : Mens debet adhærere veritati, quia Deus eam revelavit et ipse summa Veritas est.

Explic. Debet adhærere, quia Deus veritatem revelavit : fides enim est adhæsio testimonio ; *fides ex auditu*, ait Apost. Rom., 10, 16 ; —et quia Deus summa Veritas est : testimonium enim valorem desumit ex veracitate testantis.

Prob. Requiruntur istæ conditiones ex parte motivi. Siquidem 1. fatentibus omnibus, de essentiâ fidei divinæ catholicæ est ut mens adhæreat veritati propter tale motivum. 2. In hypothesi contrariâ, præstaretur assensus vel propter rationes intrinsecas argumenta rationalia quibus probatur veritas, vel propter testimonium humanum, vel propter testimonium Ecclesiæ. Porro in primo casu adesset tantùm actus scientificus, in secundo actus fidei humanæ, in tertio actus fidei ecclesiasticæ, minimè verò actus fidei divinæ catholicæ.

PUNCT. II. *De conditionibus fidei simpliciter divinæ.*

Quær. *Quænam sint conditiones fidei simpliciter divinæ?*

Resp. Eædem sunt quæ conditiones fidei divinæ catholicæ sequentibus mutatis : 1° Convictio de notionibus fidei simpliciter divinæ præviis in mente producitur per actionem extraordinariam circumstantiarum mirabilium in quibus fit revelatio privata. 2° Non requiritur propositio veritatis per Ecclesiam, cùm subjectum sit aliundè certum de divinâ veritatis revelatione.

PUNCT. III. *De conditionibus fidei ecclesiasticæ.*

Quær. *Quænam sint?*

Resp. Eædem sunt quæ conditiones fidei catholicæ sequentibus mutatis: 1° Quoàd conditionem intrinsecam ex parte objecti requisitam: Fidei ecclesiasticæ objectum debet esse, non quidem veritas revelata, sed veritas infallibiliter definita ab Ecclesiâ catholicâ. 2° Quoàd conditionem ex parte subjecti requisitam: Subjectum debet adhærere veritati, non propter divinam veritatis revelationem, sed propter infallibile testimonium Ecclesiæ.

Corol. Ex dictis concludimus: Ergo sunt actus fidei omnes et soli actus qui prædictis conditionibus vestiuntur.

ARTICULUS II.

De possibilitate actûs fidei.

De possibilitate actûs fidei 1. divinæ catholicæ, 2. simpliciter divinæ, 3. ecclesiasticæ.

PUNCT. I. *De possibilitate actûs fidei divinæ catholicæ.*

Quær. *Utrùm actus fidei catholicæ sit possibilis?*

Resp. Affirmativè.

Prob. 1ª. Hic actus à Deo præscribitur; ergo possibilis est, alioquin dicendum foret Deum impossibilia jubere, quod damnatum est ut hæreticum à Conc. Trid. sess. 6, cap. 11.

Prob. 2ª. Possibilis est actus fidei catholicæ, si realiter poni possint omnes conditiones tùm præviæ, tùm constitutivæ. Atqui,

1° Convictio legitima de notionibus fidei præviis haberi potest: tùm per immediatam Dei operationem, ut evidens est; tùm vi propriâ rationum quibus istæ

notiones prævia probantur, siquidem ex dictis, ubi *de Locis theologicis*, sequitur istas veritates esse evidenter credibiles, seu probari posse modo plùs quàm sufficienti ad rapiendum assensum hominis sensati.

2° Causæ supernaturales superiùs indicatæ possunt inclinare et adjuvare mentem ad credendum: sub titulo *de Gratiâ* probabitur existentia et explicabuntur proprietates gratiæ habitualis, fidei habitualis quæ cum gratiâ habituali infusa accipitur, et gratiæ actualis, quæ vel sola, vel fidei habituali unita, reddit hominem capacem actûs fidei.

His conditionibus positis, positâ aliundè existentiâ objecti fidei, mens huic objecto firmiter adhærere potest. Ex unâ enim parte, probatis notionibus fidei præviis, sequitur veritates ab Ecclesiâ propositas esse revelatas, et rationabile esse ipsis assensum præstare. Ex alterâ parte actio fidei habitualis et auxilium gratiæ actualis sufficiunt ut mens possit adhærere veritati cum certitudinis gradu et supernaturalitatis modo requisito ad constituendum actum fidei divinæ propriè dictum.

Diximus: « *Positâ aliundè existentiâ objecti fidei.* » Facto autem existunt veritates quæ possunt esse objectum fidei. Siquidem 1. existunt veritates à Deo revelatæ, quæ continentur in Scripturâ et Traditione, ut constat ex dictis ubi *de Locis theologicis*. 2. Istæ veritates habent obscuritatem pro fide requisitam: multæ enim non sunt intrinsecè evidentes, sunt in se perobscuræ. Insuper omnes sunt obscuræ quatenùs per revelationem manifestatæ; cùm revelationis factum, probatum quidem argumentis extrinsecis sufficientibus ad trahendum assensum hominis sensati, nequeat tamen probari

ità ut appareat intrinsecè evidens. 3. Inter veritates quæ in Scripturâ et Traditione continentur multæ tanquàm de fide credendæ proponuntur ab infallibili auctoritate ecclesiasticâ. Et 1. Ecclesiam multas proponere veritates de fide credendas, facto constat; 2. Ecclesiam gaudere infallibilitate et indefectibilitate, constat etiam ex dictis ubi *de Ecclesiâ*.

Positis omnibus conditionibus hucusquè enuntiatis, mens potest adhærere veritatibus in verbo Dei contentis, propter divinam revelationem et summam Dei revelantis veracitatem. Hoc evidens est.

Ergo possibilis est actus fidei divinæ catholicæ.

PUNCT. II. *De possibilitate actûs fidei simpliciter divinæ.*

Quær. *Utrùm actus fidei simpliciter divinæ sit possibilis?*

Resp. Affirmativè. Etenim, cùm fidei simpliciter divinæ conditiones sint, exceptis duabus differentiis superiùs enuntiatis, eædem quæ conditiones fidei divinæ catholicæ, ad probandam possibilitatem hujus actûs, sufficit probare 1. Deum posse in mente producere convictionem de facto revelationis per circumstantias extraordinarias in quibus fit revelatio; 2. tali convictione in mente subjecti existente, propositionem veritatis ab Ecclesiâ esse inutilem: porro utrumque evidens est. Ergo.

PUNCT. III. *De possibilitate actûs fidei ecclesiasticæ.*

Quær. *Utrùm hic actus sit possibilis?*

Resp. Affirmativè. Siquidem, cùm hujus fidei conditiones sint eædem quæ conditiones fidei catholicæ,

exceptis 1. quòd ecclesiasticæ fidei objectum sit veritas in verbo Dei non contenta, et 2. quòd assensus præstari debeat propter Ecclesiæ testimonium infallibile circa veritatem definitam, sufficit ad probandam possibilitatem actûs de quo agitur ut constet de infallibilitate Ecclesiæ circa veritates quæ possunt esse objectum fidei ecclesiasticæ. Porro hanc Ecclesiæ infallibilitatem probavimus ubi *de Ecclesiâ*.

ARTICULUS III.

De proprietatibus absolutis actûs fidei.

PUNCT. I. *De proprietatibus absolutis actûs fidei divinæ catholicæ.*

Quær. *Quænam sint?*

Resp. Istæ proprietates sunt diversæ, prout actus fidei consideratur sub respectu 1. originis, naturæ et finis, 2. subjecti, 3. motivi, 4. objecti.

I. Sub respectu *originis, naturæ et finis*, actus fidei est *supernaturalis*. — Supernaturalis est : 1. respectu *originis*. Siquidem homo fit capax actûs fidei per actionem fidei habitualis et auxilium gratiæ actualis; proindè habitus fidei et gratia actualis dici possunt causæ præcipuæ actûs fidei ; proindè actus fidei supernaturalis est ratione causæ, originis. 2. Supernaturalis est *in se* : actus enim desumit nomen causæ principalis, porro causa actûs est supernaturalis. 3. Supernaturalis est respectu *finis*: actus enim fidei ordinatur ad visionem intuitivam, finem supernaturalem.

II. Sub respectu *subjecti*: Actus fidei est 1° *liber*: suprà probavimus. 2° Est *certus*, certitudine facti ; id

est, mens adhæret veritati absque ullâ dubitatione: superiùs etiam diximus actum non esse actum fidei, sed merum dubium, meram opinionem, si quædam adesset mentis hæsitatio.

III. Sub respectu *motivi*. Si perpendantur actûs fidei conditiones præviæ et elementa intrinseca, tria motivis nituntur, scilicet: 1. præambula remota, seu convictio de notionibus præviis quas, ex dictis, supponit convictio de infallibilitate Ecclesiæ; 2. præambulum proximum, seu adhæsio propositioni per Ecclesiam factæ de veritate tanquàm revelatâ; 3. actus ipse fidei, *id est* assensus mentis tùm ipsimet facto revelationis, tùm veritati revelatæ. Porro,

1° Præambula remota nituntur argumentis ex ratione petitis et sufficientibus ut inducatur mens ad affirmandam absque errandi formidine relationem inter judicium et objectum. Ista præambula sunt proindè 1. *certa objectivè*, 2. certa, *certitudine humanâ*, nam certitudo quam parit motivum ejusdem naturæ est quàm istud motivum.

2° Præambulum proximum nititur auctoritati Ecclesiæ proponentis veritatem tanquàm revelatam. Proindè præambulum istud est: 1. *certum*, cùm Ecclesia gaudeat privilegio infallibilitatis in doctrinâ et indefectibilitate in fide; 2. certum, *certitudine ecclesiasticâ*, cùm mens adhæreat propositioni propter auctoritatem Ecclesiæ.

3° Ipse actus fidei in se spectatus nititur testimonio divino. Proindè actus fidei est 1. *certus*, cùm Deus nec falli nec fallere possit; 2. certus, *certitudine divinâ*, cùm motivum assensûs sit testimonium Dei summè veracis.

Notanda: 1º Certitudo actûs fidei divinæ dici potest in quodam sensu major quàm certitudo humana; id est si mens, quod impossibile quidem fatemur, teneretur dicere falsam aliquam propositionem revelatam, aut aliquam veritatem naturaliter cognitam, ab illâ potiùs rejicienda foret veritas naturalis quàm veritas certò revelata. Siquidem certitudo, si gradus admittere posset (quod expendere nolumus), crescere deberet pro valore motivorum; atqui testimonium divinum valore multò præstat cuilibet alio certitudinis motivo.

2º *Prædicta* certitudo, quoàd motivum divina, suo charactere proprio duo afficit, factum ipsum revelationis, et ipsam veritatem revelatam. 1. Ipsum factum: testimonium enim divinum primò sese affirmat tanquàm factum divinum; 2. veritatem ipsam: nam, si testimonium sit verum, eo ipso stabilitur veritas revelata; factum proindè revelationis, et ipsa veritas per revelationem manifestata includuntur in testimonio divino quod est motivum actûs fidei.

IV. Sub respectu *objecti*: Actus fidei est *verus* et *supernaturalis*, id est, dogmatibus fidei respondent objecta realia et supernaturalia, quibus competunt omnes proprietates positivæ et negativæ quæ in actu fidei de ipsis affirmantur. Siquidem actus fidei est certus, ergo verus. Aliundè, si objectum actûs fidei non esset reale et verum, Deus homines falleret, quod blasphemia est, et absurditas inducens scepticismum universalem.

Observ. 1º Hucusquè dictis explicari potest quomodò præambula remota, quæ sunt objectum adhæsionis in principio merè scientificæ, quomodò præambulum proximum, quod est objectum actûs fidei in principio

simpliciter ecclesiasticæ, fiant posteriùs actus fidei divinæ propriè dicti. Siquidem positis istis præambulis, adducitur mens ad credendum tanquàm revelatum, ac proindè tanquàm objectum fidei divinæ, quidquid proponit Ecclesia; porro omnia motiva quibus nituntur prædicta præambula sunt è numero veritatum quas docet et fidei proponit Ecclesia catholica.

2º Præcedentium notionum ope dari potest analysis fidei, quoàd causas et quoàd motiva. 1. Respectu *causarum:* Causa primaria impulsiva et directiva actûs fidei est gratia; causa efficiens est voluntas libera auxilio gratiæ adjuta; causa instrumentalis est intelligentia per gratiam illuminata. 2. Respectu *motivorum:* Motivum cui nituntur præambula remota est ratio individua et collectiva; motivum præambuli proximi est testimonium Ecclesiæ; motivum actûs fidei propriè dicti, seu adhæsionis facto revelationis et veritati revelatæ, est ipsa revelatio, seu testimonium divinum.

PUNCT. II. *De proprietatibus actûs fidei simpliciter divinæ.*

Quær. *Quænam sint?*

Resp. Eædem sunt quæ proprietates actûs fidei catholicæ, omissis tamen iis quæ spectant præambula remota et præambulum proximum.

PUNCT. III. *De proprietatibus actûs fidei ecclesiasticæ.*

Quær. *Quænam sint?*

Resp. Ad eas assignandas, certitudini divinæ actûs fidei catholicæ sufficit substituere certitudinem ecclesiasticam, quæ actui de quo agitur sola competere potest. Hoc præsertim puncto differunt proprietates actûs fidei ecclesiasticæ et fidei catholicæ.

CAPUT II.

DE REGULIS ACTUS FIDEI.

Actus fidei, ut suprà vidimus, est actus voluntatis et intelligentiæ. Sub priori respectu consideratus, reducitur ad classem actuum liberorum, et quidquid infrà, sub titulo *de Morali in genere*, dicemus de actu humano in genere, de regulis actûs humani, de relationibus actûs humani cum suis regulis, pariter congruit actui fidei. Insuper sub titulo *de Legibus in individuo*, ubi de *Officiis hominis erga Deum* explicabuntur regulæ speciales actûs fidei. Nunc ergo unum intendimus, scilicet exponere regulas generales actûs fidei, quatenùs est actus intelligentiæ.

Prædictæ regulæ considerari possunt 1° quoàd originem, 2° in se, 3° quoàd effectus. Undè triplex quæstio.

Quæst. Iª. *Quænam sit origo regularum actûs fidei?*

Resp. Istæ regulæ essentialiter deducuntur ex præcepto et ex ipsâ naturâ fidei. Quod patebit earum expositione.

Quæst. IIª. *Quænam regulæ fluant ex præcepto et ex naturâ actûs fidei?*

Resp. 1ª Reg. Prohibetur quilibet actus intellectualis, modo certo aut tantùm simpliciter probabili, immediatè vel mediatè contradicens veritatibus quæ sunt objectum fidei divinæ vel ecclesiasticæ. Nam 1° præceptum vi cujus homo tenetur assentire positivè veritatibus revelatis, aut ab Ecclesiâ infallibiliter definitis, à fortiori prohibet ne mens opponat judicia prædictis veritatibus contradicentia. 2° Eliciendo actus divinæ

revelationi contradicentes, homo implicitè negaret summam Dei veracitatem.

2ª Reg. Quandò præscribitur actus fidei, adimpleri debent omnes conditiones requisitæ ut actus in suâ naturâ constituatur. Alioquin actus positus non esset actus qualis præscribitur, et violaretur præceptum.

QUÆST. IIIª. *Quinam sint effectus regularum actûs fidei?*

Resp. 1º Ex regulis actûs fidei *immediatè* sequitur obligatio actus intellectuales conformandi prædictis regulis.

2º Ex eis *mediatè* sequuntur effectus sequentes: 1. Per leges dogmaticas adunatur intelligentia humana intelligentiæ divinæ, adunantur inter se intelligentiæ humanæ. Leges proindè dogmaticæ sunt vinculum obligatorium quo religantur in unicâ societate intellectuali homines cum Deo, et homines inter se. 2. Ablatâ mentis humanæ independentiâ absolutâ, damnatâ cogitationum et opinionum effrenatâ licentiâ, contradictionum, errorum et schismatum fons per leges dogmaticas occluditur.

CAPUT III.

DE RELATIONIBUS ABSOLETIS ACTUS FIDEI, SEU POTIUS ACTUS INTELLECTUALIS, CUM SUIS REGULIS.

Ex dictis in *Cap. II* sequitur, non solùm actum fidei propriè dictum, sed etiam in quodam sensu omnes actus intellectuales componendos esse juxta regulas actûs fidei. Undè sub titulo præsenti tractandum est

de relationibus absolutis actûs intellectualis, et non simpliciter actûs fidei, cum suis regulis.

Ex istis relationibus deducuntur 1° actûs intellectualis proprietates morales, 2° proprietates relativæ ad meritum et ad finem.

ARTICULUS I.

De proprietatibus moralibus actûs intellectualis.

Sub respectu morali actus intellectualis potest esse indifferens, vel bonus, vel malus.

Actus indifferens est: actus qui nec conformis est cum regulâ fidei, nec ab illâ discrepat; aliis verbis, est actus qui non cadit sub regulis fidei.

Bonitas moralis actûs intellectualis consistit in conformitate et convenientiâ actûs intellectualis cum regulis fidei; *malitia* autem in discrepantiâ, seu difformitate ab istis regulis.

Bonitas aut malitia est *materialis* vel *formalis*, prout actus, bonus aut malus, respectivè ad regulam consideratur *materialiter*, id est, abstracto actu voluntatis libero, vel *formaliter*, seu in quantùm voluntarius est et liber.

De moralitate formali agemus ubi *de Morali in genere*, et quidquid sub hoc titulo dicetur pariter conveniet actui intellectuali in quantùm includit voluntarium liberum. Illum ergo solummodò consideramus quatenùs est actus intelligentiæ, proindè de solâ moralitate materiali tractare intendimus.

QUÆST. Iª. *Utrùm dentur actus intellectuales de se indifferentes; et quinam sint?*

Resp. Ad 1um: Dantur actus intellectuales de se in-

differentes, seu de quibus nihil statuunt regulæ fidei, v. g. actus merè scientifici.

Ad 2um : Indifferentes sunt actus de quibus nihil statuunt regulæ fidei.

Quæst. IIa. *Utrùm dentur actus intellectuales boni; et quinam sint?*

Resp. Ad 1um : Dantur actus intellectuales boni, dantur enim actus conformes regulis fidei.

Ad 2um : Sunt boni actus qui verè cum regulis congruunt.

Quæst. IIIa. *Utrùm dentur actus intellectuales mali; et quinam sint?*

Resp. Ad 1um : Dantur actus intellectuales mali; adsunt enim actus regulis fidei contradicentes. Hoc aliundè sequentibus constabit.

Ad 2um : 1º Illicita est, quatenùs immediatè opposita fidei, propositio *hæretica*.

Hæretica autem est propositio opposita veritati quam certò constat esse de fide.

Porro in genere sunt de fide : propositiones quæ immediatè continentur in verbo Dei, et ab Ecclesiâ propositæ fuerunt tanquàm de fide credendæ.

Prædictis conditionibus satisfaciunt, ac proindè sunt de fide :

1. Propositiones quæ clarè et expressè continentur in verbo Dei, seu in Scripturâ aut Traditione. (Veritas dicitur clarè contenta in Traditione, quandò de fide divinâ tenetur ab universâ Ecclesiâ ; v. g. septenarius Sacramentorum numerus.)

2. Propositiones quæ synonymis aut saltem æquivalentibus quoàd sensum terminis exprimunt alias pro-

positiones aliundè clarè et immediatè in verbo Dei contentas.

3. Propositiones quæ nihil aliud sunt quàm expositio, seu evolutio immediata *extensionis* alterius propositionis aliundè clarè revelatæ. Sic v. g. hæc propositio: *S. Matthæus accepit Spiritum S.* est de fide, quia immediatè exponit et evolvit extensionem subjecti hujus alterius propositionis : *Omnes Apostoli* (quorum unus erat S. Matthæus) *acceperunt Spiritum S.*, quæ est clarè revelata.

4. Propositiones quæ nihil aliud sunt quàm clara et immediata evolutio *comprehensionis* alterius propositionis aliundè clarè revelatæ. Sic v. g. hæc propositio (supposito quòd aliundè jàm non sit positivè revelata) : *Christus est æternus*, esset de fide, quia immediatè exponit comprehensionem attributi hujus alterius propositionis clarè revelatæ : *Christus est Deus*.

5. Propositiones quæ, licèt implicitè et subobscurè contentæ in Scripturâ aut Traditione, clarè et explicitè definitæ fuerunt ab auctoritate ecclesiasticâ, cujus infallibilitas circa materiam definitam absque hæresi negari nequeat.

Prædictis conditionibus non satisfaciunt, ac proindè non sunt de fide divinâ catholicâ :

1. Conclusiones theologicæ propriè dictæ, deductæ ex duabus præmissis revelatis, antequàm ab Ecclesiâ definiantur. — Dicimus : *conclusiones propriè dictæ ;* id est conclusiones quæ non sunt meræ expositiones propositionum immediatè revelatarum, in quibus tanquàm singulare in universali, vel minùs explicitum in magis explicito necessariò continentur ; sed illæ quæ

ex præmissis, à quibus virtualiter saltem distinguuntur, per verum ac syllogisticum ratiocinium reipsà deducuntur.— Post definitionem Ecclesiæ istæ conclusiones sunt de fide divinà.

2. Non sunt de fide ante definitionem Ecclesiæ : conclusiones theologicæ deductæ ex duabus præmissis, quarum una est revelata, altera lumine naturali cognita. — Positâ definitione Ecclesiæ, controvertitur, non quidem utrùm veritas proposita sit credenda, sed utrùm veritas esset de fide divinâ. Quidquid sit de hâc controversiâ, nemini dubium est hanc veritatem de fide divinâ credendam esse, si Ecclesia eam proponeret tanquàm de fide divinâ credendam.

2° Illicita est, propter *mediatam* oppositionem cum fide divinâ, propositio *erronea.*

Erronea autem est propositio opposita propositioni *mediatè* revelatæ et certæ in materiâ fidei.

Porro *certa* est in materiâ fidei, quælibet conclusio theologica deducta ex unâ vel duabus præmissis revelatis. Quod triplici modo constare potest : 1. evidentiâ, 2. concordi theologorum consensu, 3. definitione Ecclesiæ veritatem pro *certâ* tenendam proponentis.

3° Illicita est, propter oppositionem *probabilem* cum fide divinâ, quælibet propositio ab Ecclesiâ sequentibus censuris notata : *hæresi proxima, sapiens hæresim,* vel *hæreseos suspecta.*

Propositio *hæresi proxima* est ea quam major et sanior theologorum pars judicat esse hæreticam, quatenùs contradicit Scripturæ vel Traditioni, etsi tamen prædicti theologi non audeant eam absolutè pronuntiare hæreticam, quia aliqui graves theologi contendunt ipsi censuram hujusmodi inuri non debere.

Not. Duæ notæ sequentes spectant propositionem quæ propriè utriusque sensûs, catholici et heterodoxi, capax est.

Propositio dicitur *sapiens hæresim*, quandò, tùm ratione ipsorum propositionis verborum, tùm ratione circumstantiarum, probabile est eam involvere sensum hæreticum.

Dicitur *hæreseos suspecta*, quandò habitâ ratione verborum et circumstantiarum, sufficiens quidem præbetur fundamentum ad suspicionem et timorem aliquem *absque* temeritate de auctore concipiendum, non verò ad judicandum probabiliter quòd auctor sit hæreticus.

4° Illicita est propter rationes superiùs enuntiatas, quælibet propositio ab Ecclesiâ notatâ sequentibus censuris: *proxima errori*, *sapiens errorem*, *suspecta de errore*. — De his tribus notis judicandum est relativè ad propositionem erroneam, sicuti de tribus præcedentibus relativè ad propositionem hæreticam.

Nota. De propositione *malè sonante* et propositione *piarum aurium offensivâ* eodem ferè modo dicendum, quo de propositione *sapiente hæresim*, aut *suspectâ de hæresi*. Notæ *malè sonans* et *piarum aurium offensiva*, indicant tamen oppositionem paulò minùs probabilem cum veritate revelatâ, quàm notæ præcedentes.

Præcipuum autem discrimen inter notas de quibus nn. 3 et 4 locuti sumus et notas præsentes in eo jacet, quòd priores respiciant propositiones oppositas veritatibus dogmaticis, dùm notæ *malè sonans* et *piarum aurium offensiva* ordinariè inurantur propositionibus oppositis veritatibus moralibus.

5° Illicita est propositio *temeraria*. Dicitur autem

temeraria propositio quæ, nullà sufficienti ratione nixa, pugnat contra receptam et communem sententiam Patrum, aut theologorum.

6º Illicita est, et includit in se malitiam hæreseos propriè dictæ, quælibet propositio opposita alicui revelationi privatæ certò cognitæ, emissa ab eo cui revelatio facta est. Dicimus: propositio emissa *ab eo cui revelatio facta est*. Etenim, si propositio contradictoria ab alio emitteretur, esset tantùm plùs minùsve temeraria, pro valore testimoniorum per quæ transmissa fuit revelatio privata; nunquàm verò hæretica esset, cùm revelatio privata non contineatur in verbo Dei, seu in Scripturà aut Traditione.

7º Illicita est quælibet propositio immediatè aut mediatè, modo certo vel probabili opposita alicui propositioni quæ, licèt non contineatur in verbo Dei, infallibiliter definita fuit ab Ecclesià.

Observ. Propositiones ab Ecclesià damnatæ censuris superiùs expositis notantur, quandò considerantur sub respectu oppositionis cum veritate revelatà. —Sequentes notæ propositionibus inuruntur, ratione oppositionis cum virtute aut præcèpto speciali. Quamvìs earum expositio directè non pertineat ad thesim nostram, hanc nihilominùs non prætermittimus, ut completæ sint notiones de censuris theologicis.

Sub respectu superiùs enuntiato propositiones sunt: scandalosæ, schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ, impiæ.

Propositio *scandalosa* dicitur, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, sive inclinando ad peccatum, sive avertendo à virtutum exercitio.

Propositio *schismatica* est ea quæ viam scissioni unitatis Ecclesiæ aperit. Proindè schismaticæ sunt : 1. propositiones quibus fideles ab obedientiâ superioribus ecclesiasticis debitâ, ac præcipuè R. Pontifici, totius unitatis centro, removentur ; 2. propositiones quibus negaretur R. Pontificem esse caput Ecclesiæ et Christi vicarium, ipsi inesse potestatem leges ecclesiasticas ferendi ; 3. propositiones quibus legitimis Pastoribus denegaretur obedientia , licèt absque ullâ exclusione auctoritatis ipsis à Christo concessæ.

Propositio schismatica dicitur *simpliciter schismatica, quandò* nullam includit hæresim ; hujus generis sunt propositiones 3° loco relatæ. Aliæ 1° et 2° loco expositæ sunt *schismatico-hæreticæ,* quia et schisma promovent et hæresim continent.

Propositio *seditiosa* ea est quæ ab obedientiâ principibus civilibus debitâ removet, aut ad tumultus in republicâ excitandos conducit.

Propositio *blasphema* ea est quæ contra Deum, vel B. Virginem, aut Sanctos, aut res sacras injuriam continet, sive illis quasdam denegando perfectiones , sive illis indebitos tribuendo nævos, sive illis desiderando aut imprecando malum vel carentiam alicujus boni.

Propositio *impia* ea est quæ debitum Deo cultum, debita parentibus et consanguineis, superioribus ac benefactoribus honorem, obsequia gratitudinemque aufert aut imminuit.

Sub titulo *de Morali in genere* agetur de moralitate formali.

ARTICULUS II.

De proprietatibus relativis ad meritum et ad finem.

Cùm proprietates relativæ ad meritum supponant moralitatem formalem, cùm proprietates relativæ ad finem supponant meritum; de his etiam dicemus ubi *de Morali in genere.*

II. DE DOGMATE

IN SPECIE.

Si, juxta D. Thomam, *omnia pertractantur in sacrâ doctrinâ sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem* (1); maximè sub ratione Dei pertractanda est ea pars theologiæ, quæ propriè versatur circa notionem Dei, quatenùs Deus est objectum fidei.

Porro Deus considerari potest 1° *in se*, 2° quoàd *proprietates*, 3° quoàd *attributa*. — Item attributa divina examinari possunt 1. *in se*, seu quoàd existentiam, 2. *in actu*.

Hìc non agimus de Deo in se considerato, nec de proprietatibus et attributis divinis in se, de quibus alibi dictum est; sed tantùm de divinis attributis consideratis in actu, seu *de Actibus divinis*.

Duplicis autem generis actus divini distinguuntur, scilicet actus *ad intra*, et actus *ad extra*.

I. DE ACTIBUS DIVINIS *AD INTRA*,

seu

DE TRINITATE.

Hæc est summa dogmatis de Trinitate: *In Deo, Unitas substantiæ, Trinitas personarum*; aliis verbis: *In Deo*

(1) Sum. theol. 1 p. q. 1, art. 7.

tres sunt personæ distinctæ, scilicet Pater, Filius, Spiritus Sanctus; personæ æquales sibique consubstantiales.

Dicimus 1° *personæ:* Persona autem in genere *est substantia rationalis, individua et sui juris.* — Substantia : quod existit in se, et substat proprietatibus ; — rationalis : ratione prædita ; — individua : singularis, particularis ; — sui juris : completa, à nullo alio terminata, et quæ sic conservat dominium et attributionem operationum et modificationum. Hoc charactere ens rationale constituitur persona (1).

Dicimus 2° *distinctæ :* seu, quarum una non est alia.

Dicimus 3° *æquales et consubstantiales :* id est, unam eamdemque sibi communem habentes substantiam divinam identitate numericà. Tres non sunt unum identitate solummodò specificà, ità ut sint tres naturæ divinæ ; sed identitate numericà, ità ut tribus personis una et tota communis sit natura divina (2).

Trinitatem personarum in Deo negant Judæi. — Errores, quibus apud Christianos impugnatum fuit sanctissimum Trinitatis mysterium, ad triplicem clas-

(1) Hoc verbum : *persona*, quale sic generaliter definitur, sensum habet incompletum et incomprehensibilem quandò de divinis prædicatur. *Cùm quæritur,* ait S. August. de Trin. l. 5, c. 8, *quid tres ? Magnâ prorsùs inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum est tamen tres personæ, non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Illud SS. Patres contra Sabellium acceperunt, ad excludendum errorem hujus hæresiarchæ docentis Patrem, Filium et Spiritum S. vacua esse nomina, modos nudaque attributa unius substantiæ, unius monadis.

(2) Istæ voces : *substantia, essentia, natura divina,* sæpiùs ut synonymæ usurpantur.

sem reduci possunt; præcipuos tantùm indicabimus. 1. Circa trinitatem personarum errârunt, II sæculo Valentiniani et Cataphrygæ, III sæc. Sabelliani; quorum hæresim renovârunt sæc. XVI Sociniani, et nostris temporibus Rationalistæ. 2. Circa personam Filii errârunt Ariani. 3. Spiritûs S. personam impugnârunt Macedoniani et Græci schismatici (1).

Circa Trinitatem agendum 1° de existentiâ, 2° de proprietatibus.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA.

Quær. *Utrùm admittenda sit Trinitatis existentia? seu: Utrùm probari possit Trinitatis existentia?*

Ordinariè duplex adhibetur probationum genus, probatio per rationem, et probatio per auctoritatem. Utrùm autem duplex illud probationum genus veritati de quâ nunc agitur applicari possit, sequentium quæstionum solutione constabit. Undè: 1° utrùm Trinitatis existentia possit demonstrari per rationem, 2° utrùm per auctoritatem?

QUÆSTIO I.

Utrùm Trinitatis existentia possit demonstrari per rationem? seu: Quid valeat ratio circa dogma Trinitatis?

Resp. Quatuor datæ sunt solutiones:

(1) Cùm in nostro seminario Lædonensi, sicut hodiè in plerisque Seminariis, specialis existat cursus Historiæ ecclesiasticæ, longiorem errorum et hæreseon expositionem in nostrâ theologiâ ordinariè omittemus.

1ª. Trinitas non existit, quia per rationem demonstratur ejus impossibilitas.

2ª. Ratio propriis viribus potest assurgere ad notionem Trinitatis, illamque demonstrare.

3ª. Positâ notione Trinitatis prævіè acceptatâ à revelatione, ratio naturalis potest propriis viribus demonstrare existentiam Trinitatis.

4ª. Ratio sibi derelicta, nec impossibilitatem Trinitatis probare, nec ad hujus dogmatis notionem ac demonstrationem pervenire potest.

Falsæ sunt tres prædictæ solutiones. Ultimæ solutionis veritas constabit refutatione præcedentium.

1ª *Solutio.* Trinitas non existit, quia per rationem demonstratur ejus impossibilitas.

Refut. Ad demonstrandum per rationem impossibilitatem hujus dogmatis, adversarii probare deberent Trinitatem contradicere unitati essentiæ in Deo, aut repugnare summæ Dei perfectioni. Atqui neutrum probari potest.

Non prius : Adesset equidem contradictio, si Trinitas et Unitas affirmarentur de Deo sub eodem respectu considerato. Sed Trinitas affirmatur de personis, Unitas autem de essentiâ.

Non posterius : Quin Trinitatis dogma repugnet infinitæ Dei perfectioni, è contra per Trinitatem optimè completa percipitur Dei perfectio. Siquidem, posito dogmate Trinitatis, admittenda est in Deo fecunditas infinita, cùm divinis facultatibus producantur actus substantiales, personales, infiniti ; dùm, in hypothesi contrariâ, actus divini nihil aliud essent quàm meræ modificationes attributorum à quibus procedunt.

Ergo ratione demonstrari non potest impossibilitas Trinitatis.

2a *Solutio*. Ratio propriis viribus potest pervenire ad notionem et demonstrationem Trinitatis.

Refut. Falsitas hujus systematis probatur directè, indirectè.

Prob. Directæ.—Prob. 1a. Si ratio pervenire posset ad notionem Trinitatis, vel per argumentationem à priori, vel per argumentationem à posteriori. Atqui,

1o *Non* per argumentationem *à priori*: In hoc con-*sistit* ratiocinandi modus de quo agitur, scilicet, cognitâ *ratione* essendi alicujus rei, concluditur existentia rei. Porro ex Asseitate (quæ est ratio essendi in Deo) rectè deducuntur perfectiones divinæ, v. g. æternitas, immutabilitas; minimè verò concludi potest Trinitas personarum in unicâ substantiâ divinâ. Nulla per rationem cognosci potest relatio inter Asseitatem et Trinitatem.

2o Non per argumentationem *à posteriori*: Juxta illum argumentandi modum, posito effectu, ratio spontè assurgit ad causam. Porro è mundi existentiâ, rectè concluditur in Deo esse Intelligentiam, Voluntatem, Sapientiam, etc.; minimè verò concludi potest in Uno Deo tres esse personas; hoc enim nullo modo requiritur in opere divino creationis.—Equidem in creaturis aspicitur unitas simul et triplicitas; sed 1. ista quædam trinitas in creaturis non est trinitas personalis; 2. Trinitas in Deo non est necessaria ut Deus creare possit entia trina simul et una.

Prob. 2a. Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*. Joan. 1, 18: *Deum nemo vidit*

unquàm : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Ergo cognitio Trinitatis solà divinà revelatione haberi potest.

Prob. 3ª. SS. PP. unanimi ore confitentur Trinitatem exsuperare captum intellectûs humani. Specialiter S. Athanasius ad istud Matth. : *Nemo novit Filium nisi Pater....* sic Arianos insequitur : *Quid igitur impii his de rebus, quas scrutari nefas est, effutire non verentur : illi, inquam, qui et homines sunt, nec vel ipsam rerum terrestrium naturam possunt evolvere? Imò, quæ vel ipsos spectant, ipsi explicent nobis, nùm videlicet suam ipsorum naturam percipere queant.* S. August. de symb. ad catech. c. 9, loquens de Trinitate : *Cæterùm, inquit, illud quod est ineffabile, incomprehensibile est, nec verbis Angelicis explicari potest, quantò magis humanis?* Et l. 15 de Trin. c. 16, n. 9 : *Quis disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet.... quomodò sit Trinitas?* Similia docent SS. Ambrosius, l. 1 de fide ad Gratian.; Hilarius, de Trin. l. 2, n. 9; Fulgentius, l. 2 ad Trasimund. c. 1; Bernardus, de consid. l. 5, c. 8, etc.

Prob. Indirecta. Falsa est adversariorum opinio, si nullius sint momenti argumenta quibus nititur. Porro res ita est.

Objiciunt : 1° Plato cognovit Trinitatem. Ergo ratio humana potest pròpriis viribus pervenire ad notionem Trinitatis.

R. ad Ant. Plato cognovit Trinitatem :

1° Valor hujus assertionis est maximè dubius (1).

(1) « On n'a commencé à attribuer une Trinité à Platon qu'au

2° Qui Trinitatem in operibus Platonis detegere conantur non concordant de terminis hujus Trinitatis (1).

3° Etiam admissâ Trinitate Platonicâ, ista Trinitas essentialiter differt à Trinitate Christianâ. — Hæc est, juxta opinionem probabiliorem, Trinitas Platonica : 1us terminus, *Summus Deus* (Pater), 2us term. *Logos* (Verbum), 3us term. *Anima mundi*. Porro tres termini hujus triadis essentialiter differunt à terminis Trinitatis christianæ. Siquidem 1. tres termini prædicti *communem non* habent substantiam identitate numericâ; *non sunt* æquales. 2. Juxta Platonem, materia est necessaria, et Deo coæterna; proindè Deus supremus non est infinitus. 3. Per Verbum (*logos*), Plato designat ideas divinas. Ideæ, juxta quosdam philosophi græci interpretes, sunt realitates distinctæ, independentes ab intelligentiâ divinâ. Juxta alios, ideæ sunt meræ modificationes intelligentiæ divinæ. Porro, quidquid sit de hâc controversiâ, *Logos* Platonicum non est per-

second siècle de l'ère chrétienne, cinq cents ans environ après Platon. L'antiquité tout entière garde le silence sur cette prétendue Trinité. Le juif Philon est le premier qui ait commencé à l'attribuer au philosophe grec. » M. Jules Simon, *Histoire de l'école d'Alexandrie*, t. I, p. 317.

(1) Ainsi, au deuxième siècle, Alcinoüs voit dans Platon une sorte de Trinité dont les trois personnes sont : 1. l'Intelligence suprême, cause du monde ; 2. l'Intelligence de l'âme, ordonnatrice du monde ; 3. l'Ame du monde elle-même. Mais Alcinoüs considère-t-il ces trois personnes comme un seul Dieu? C'est fort douteux. — Au commencement du troisième siècle, Numénius d'Apamée distinguait trois personnes divines : 1. le Père du monde, c'est-à-dire le premier principe, l'unité, le souverain bien ; 2. l'Auteur du monde ; 3. enfin le Monde lui-même. Mais, selon Proclus, Numénius considérait ces trois personnes comme trois dieux. » M. Maret, *Théodicée*, page 234.

sona, neque infinitum; imò non procedit à Deo Supremo, saltem juxta priores interpretes. Ergo essentialiter differt à Verbo, secundâ personâ SS. Trinitatis. 4. *Anima mundi* non est persona; non est infinita, cùm sit creata.

Etiam dato *anteced.* Neg. *conseq.* Certum est enim Platonem, more antiquorum philosophorum, longinquas suscepisse peregrinationes, invisisse Ægyptios, qui relationes cum Hæbreis habuerant. Nihil proindè mirum Platonem, saltem si quamdam habuerit, accepisse notionem Trinitatis ex veritatibus per traditionem transmissis.

Objic. 2° Philosophi Alexandrini cognoverunt Trinitatem. Hanc notionem habuerunt per rationem solam. Ergo.

Ad maj. R. Alexandrini cognoverunt quamdam triadem. *Conced.* Cognoverunt Trinitatem Christianam. *Neg.* Siquidem Trinitas Plotiniana, omnium magis completa, essentialiter differt à Trinitate Christianâ.—Hæc est enim Trinitas Plotiniana. Ex Uno (*to en*) primo termino, infinito, procedit per emanationem mens (*nous, logos*), ex quâ eodem modo procedit Anima (*psuchè*). Secundus terminus (*mens*) est minus perfectus quàm primus (*to en*); magis verò perfectus quàm tertius (*psuchè*). Undè tres termini non sunt æquales: primus solus est infinitus; secundus (*mens*) non procedit ab *Uno* per modum generationis; tertius (*anima*) non procedit simul ab *Uno* et mente. Ergo.

Ad min. R. Neg. Plotinus enim vivebat tertio post Christum sæculo, Alexandriæ, ubi tunc doctrinam catholicam profitebantur eminentissimi Christianorum philosophi. Hanc proindè doctrinam potuit cognoscere, imò necessariò cognovit.

Objic. 3° In operibus Mercurii Trismegysti mentio est de Trinitate, eam Mercurius per solam rationem cognoscere potuit. Ergo.

Ad maj. R. dist. Mentio est de quâdam triade, hoc fieri potest. Mentio est de Trinitate Christianâ, *neg.* propositum quatenùs plùs æquo affirmativum. Siquidem verba laudata Mercurii : *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem*, sunt ambigua, obscura, et minimè exprimunt dogma catholicum de Trinitate.

Ad min. R. neg. Siquidem, judicio doctissimorum, specialiter Petavii, de Trin. lib. 1, cap. 2, opus Mercurii, cui tanta vetustas adscribitur, est supposititium ; et probabilissimè fuit elucubratum paulò post Apostolorum tempora, vel à Christiano, vel à Neo-platonico.

Objic. 4° In libris sybillinis mentio est de Trinitate. Ergo.

Ad maj. R. dist. Mentio est de quâdam Trinitate, transeat. Mentio est de Trinitate christianâ. *Neg.*

Ad min. R. neg. Siquidem, juxta plurimos eruditos, ista carmina sybillina non majoris sunt ætatis et auctoritatis quàm opus præcitatum Trismegysti. Vera carmina sybillina, de quibus loquuntur veteres, incendio periêrunt, et posteriora, è quibus desumitur objectio, circa initium secundi sæculi à christiano scripta, aut saltem interpolata fuêre.

Objic. 5° SS. PP. per analogias ex ordine naturali sumptas, pervenerunt ad notionem Trinitatis. Ergo.

Resp. 1. SS. PP. jàm cognoscebant ex divinâ revelatione dogma Trinitatis, quandò de illo ratiocinabantur per analogias in ordine naturali sumptos.

2. SS. PP. non intendebant istis analogiis mysterium clarè demonstrare, sed ejus solummodò ostendere possibilitatem. *Si quà verò nos*, ait S. Hilarius, l. 1 de Trin. n. 19, *de naturà Dei tractantes comparationum exempla afferamus, nemo ea existimet absolutæ in se rationis perfectionem continere; comparatio enim terrenorum ad Deum nulla est...Omnis igitur comparatio homini potiùs utilis habeatur, quàm Deo apta*. 3. Aliundè ratio non potest ex istis analogiis concludere dogma Trinitatis. Omnes enim reducuntur ad istud principium: « in plerisque creaturis est unitas et triplicitas; » porro ex isto principio minimè deducitur: « in Deo una est essentia et trinitas personarum. »

Objic. 6° Dogma Trinitatis cognosci et probari potest per ratiocinium sequens: Deus est infinitus, proindè persona infinita, proindè in Deo sunt intelligentia et voluntas infinitæ; proindè ex intelligentià et voluntate procedunt termini infiniti, proindè personales. Ergo.

Resp. Deus est infinitus, persona infinita, in Deo sunt intelligentia et voluntas è quibus procedunt actus infiniti: *conced*. È quibus procedunt personæ consubstantiales, *neg*. Ad istam conclusionem ratio sola pervenire non valet.

3ª *Solutio*. Positâ notione Trinitatis præviè acceptatâ à revelatione, ratio naturalis potest propriis viribus demonstrare existentiam Trinitatis.

Resp. Licèt à revelatione teneamus in Deo tres esse personas, unam eamdemque communem sibi habentes substantiam divinam; attamen ratio humana hanc veritatem comprehendere, proindè illam sibi demonstrare non potest.

Ergo ratio naturalis, neque Trinitatis impossibilitatem probare, neque ad hujus dogmatis notionem et demonstrationem propriis viribus pervenire potest.

QUÆSTIO II.

Utrùm SS. Trinitatis existentia probari possit per auctoritatem?

Sola auctoritas, de quâ nunc agi possit, est testimonium divinum, seu revelatio. Undè quæstio proposita æquivalet sequenti: *utrùm Trinitatis existentia probari possit per revelationem?*

Porro revelatio continetur: 1° adulterata in traditionibus paganorum; 2° in scripturâ et traditione judaïcâ; 3° in scripturâ et traditione christianâ, in fide et decisionibus Ecclesiæ. Undè triplex quæstio: 1° utrùm dogma Trinitatis possit probari traditionibus paganorum; 2° utrùm... scripturâ et traditione judaïcâ; 3° utrùm... scripturâ et traditione christianâ, fide et decisionibus Ecclesiæ catholicæ?

§ I. — Utrùm dogma Trinitatis probari possit traditionibus paganorum?

Resp. Equidem in traditionibus omnium ferè populorum quædam continentur obscuræ notiones de Trinitate; in nullâ verò mentio est de Trinitate christianâ.

§ II. — Utrùm dogma Trinitatis probari possit scripturâ et traditione judaïcâ?

Resp. Quoàd *Unitatem essentiæ* in Deo, omnium consensu, hoc dogma expressè et clarè continetur in scripturâ et traditione judaïcâ. Imò hoc dogma est præcipuum Religionis mosaïcæ.

Quoàd *trinitatem personarum*, sequentes emitti possunt propositiones : 1° Si agatur de *scripturâ* V. T., 1. quidam textus indicare videntur plures esse in Deo ; 2. in aliis textibus mentio est de Patre et Filio ; 3. in aliis apparet quædam mentio de Spiritu S. ; 4. alibi numerus trium personarum insinuari videtur. — 2° Si agatur de *traditione* judaïcâ, 1. valdè probabile est quamdam Trinitatis revelationem concessam fuisse Patriarchis , Prophetis et justis V. T. ; 2. probabile est etiam subobscuram de illo dogmate traditionem viguisse inter Doctos et Legisperitos ; 3. certum est nullam, vel omninò imperfectam apud vulgum Judæorum exstitisse Trinitatis cognitionem.

Quæ propositiones seorsim probandæ.

I. De Scripturâ V. T.

1ª Ppo. — Quidam textus indicare videntur plures esse in Deo :

Gen. 1, 1 : *In principio creavit Deus* (hebr. Elohim, in plurali sumptum , Dii) *cœlum et terram*. Verbum *creavit* indicat unitatem substantiæ ; subjectum *Elohim* in plurali, designat pluralitatem personarum ; personarum divinarum, cùm appellentur Dii (*Elohim*), cùm aliundè peragant opus divinum , *creavit*.

Gen. 1, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. De quo Theodoretus, q. 19 in Genes. « Subjungens illud : *faciamus*, expressit numerum personarum. Similiter, cùm iterùm singulari numero dixit : *imaginem* , eamdem esse naturam ostendit : » Idem, ante Theodoretum , observaverat Tertullian. contra Prax. c. 11.

Gen. 3, 22 : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Deus dicit : *Adam quasi unus ex nobis..,* quod supponit in Deo plures esse personas.

Gen. 11, 7 : *Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum.* Evidenter in hoc textu de pluribus personis agitur. Istæ personæ sunt divinæ, siquidem ex contextu patet Deum descendisse et confudisse linguas.

2ª Ppo.—In aliis textibus mentio est de Patre et Filio :

Ps. 2, 17 : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, Ego hodiè genui te.* Ps. 109, 1 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis... Ex utero ante luciferum genui te.* Prov. 8, 22 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum... Nondùm erant abyssi, et ego jàm concepta eram.* Undè sic : Deus, *Dominus*(Jehovah) habet Filium genitum, *Filius meus.., genui te.., possedit me.* (Ultimum hoc verbum *possedit* idem sonat quod *genuit;* Eva post partum Caïn dixerat : *possedi hominem.* Gen. 4, 1.)

3ª Ppo.— In aliis textibus apparet quædam mentio de Spiritu S.

Ps. 32, 6: *Verbum Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ps. 103, 30 : *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Spiritui S. singulari quàdam ratione attribuitur perfectio divinorum operum.

Isaï. 48, 16 : *Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus.* Spiritus distinguitur à Domino per copulam *et,* proindè Spiritus est persona distincta.

4ª Ppo.—Alibi numerus trium personarum insinuari videtur.

Gen. 18, 1 : *Apparuit autem ei Dominus* (Jehovah) *in convalle Mambre... Cùmque elevâsset oculos apparuerunt ei tres viri... Quos, cùm vidisset, cucurrit... et adoravit in terram. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* De quo plures SS. Patres specialiter SS. Ambrosius, l. 1 de Caïn et Abel, Augustinus, de Trin. l. 2, etc., docent Abrahamum, cùm tres vidit et unum adoravit Trinitatis figuram conspexisse. (Unus Deus, *Dominus, Domine* si inveni gratiam in oculis tuis ; tres personæ : quas *tres viri* figurabant.)

Isaï. 6 : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus noster.* Hunc locum Patres ferè omnes contra hæreticos proferunt. Attributum *Sanctus* ter repetitum indicare videtur tres personas—unitatem verò substantiæ designat *Dominus* numero singulari.)

Similiter mysterium indicari videtur hoc versu Ps. 67 : *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.*

II. De Traditione judaïcâ.

1ª Ppo. — Valdè probabile est quamdam Trinitatis revelationem concessam fuisse Patriarchis, Prophetis et Justis V. T.

Hoc suadent, tùm luminis copia, tùm aliorum mysteriorum prænotitia illis divinitùs data ; tùm testimonia SS. Patrum, inter quos SS. Cyrillus Alex. l. 1 contra Julian., Ambrosius, l. 1 de Caïn et Abel, c. 8 ; Augustinus, l. 2 de Trin. c. 11, hanc notitiam Abrahamo vindicant ; Epiphanius verò, l. 1 adv. hæres. hær. 5, in genere affirmat : *Una Trinitas semper in illâ singulari Divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui*

cæteris antecellerent, cujusmodi Prophetæ, atque eximiâ sanctitate prædili homines fuère (1).

2a Ppo.—Probabile est subobscuram de illo dogmate traditionem viguisse inter Doctos et Legisperitos, saltem multos : constat tùm eorum solertià et studio in perscrutandis Scripturis; tùm pluribus Rabbinorum celebrium testimoniis (2).

3a Ppo. — Certum est nullam, vel omninò imperfectam apud vulgum Judæorum exstitisse cognitionem Trinitatis : quod probatur, tùm constanti errore Judæorum modernorum circa hoc mysterium, tùm doctrinâ Patrum et theologorum. Rationem affert Theodoretus,

(1) Vid. fusiùs Tournely, *de Trin.* quæst. 1, art. 2.

(2) Præter Tournely, supr. cit.; Witasse, *de Trin.* q. 1, art. 2, sect. 2; Galatin. l. 2 *de arcan. cath. verit.* c. 9; vid. D. Drach, *de l'harmonie entre la Synagogue et l'Eglise.* Inter plurima Rabbinorum testimonia, quæ in illo opere referuntur, sequentia seligimus : « Le Zohar sur le livre des Nombres, fol. 77, col. 307 : Il a » dit en outre : Il y a *deux* auxquels s'unit *un*, et ils sont *trois*; et » étant *trois* ils ne sont qu'*un*. Il nous dit : Ces *deux* sont les deux » *Jéhovah* du verset *Ecoute, ô Israël... Elohénu* vient s'y joindre. » Et c'est là le cachet du sceau de Dieu : VÉRITÉ. Et comme ils » sont joints ensemble, ils sont *un* dans l'*unité unique.* » T. 1 op. cit. pag. 314: « Le système cabalistique du Sépher-Yetzira (livre » de la création), que les rabbins attribuent au patriarche Abra- » ham, est entièrement basé sur le dogme de la Trinité... V. texte » du Sépher-Yetzira, chap. 1, mischna 9 : *Les dix numérations de* » *l'Infini sont une même* chose, *l'Esprit de Dieu : la* Voix, *l'*Esprit, » *le* Verbe.*Et ceci est l'Esprit de Dieu.* » Commentaire de R. Aaron-le-Grand, chef de l'académie de Babylone : « La *Voix*, ainsi qu'il » est écrit, c'est la *Voix du Dieu vivant* (Deuter. v. 23). L'*Esprit*, » celui qui est nommé dans ce verset : *Toute l'armée céleste fut* » *faite par l'esprit de sa bouche* (Ps. 33, 6). Le *Verbe*, ainsi qu'il » est dit, *les cieux furent faits par le Verbe de Jéhovah* (ibid). La » *Voix* ne peut jamais se trouver séparée de l'*Esprit* et du *Verbe*.» T. 1, pag. 438 et seq.

lib. de curat. græc. affect. serm. 2: *Cùm in Ægypto*, inquit, *diutissimè versati essent Judæi, multorumque ibi deorum cultum ritu ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquàm illis manifestè omnia Trinitatis mysteria tradidit, ne eâ cognitione multitudinis deorum occasionem sumerent, ad impietatem Ægyptiorum propendentes.* Idem docet S. Chrysostomus, homil. de incomprehens. Dei nat.

§ III.—Utrùm existentia Trinitatis probari possit Scripturâ N. T., Traditione christianâ, fide et decisionibus Ecclesiæ.

I. De Scripturâ N. T.

Præmittenda. Dogma Trinitatis sequentes includit propositiones: 1. In Deo, Pater, persona divina. 2. In Deo, Filius, persona divina à Patre distincta. 3. In Deo, Spiritus S., persona divina à Patre et Filio distincta. 4. Tres prædictæ personæ unicam et communem habent substantiam; seu tres sunt Unus Deus. — Undè quatuor probandæ essent propositiones. Ultimæ tamen probationem omittimus, quia 1. trium præcedentium probatione constabit tres personas unicam et communem habere substantiam; quia 2. ex omnium consensu Unitas essentiæ divinæ sat clarè et expressè declaratur in N. T.— Proindè ad probandum per Scripturam N. T. dogma Trinitatis, requiritur ut ex ejus textibus deduci possit *existentia trium* realitatum, quæ sint *distinctæ, divinæ, personales*. Quibus positis,

Adsunt textus *generales*, seu quibus probantur tres propositiones prædictæ summatìm sumptæ; adsunt et *speciales*, seu quibus unaquæque propositio seorsìm probatur.

1° Textus generales.

Matth. 28, 19: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.* In hoc textu affirmantur—*tres* realitates: *Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*— Realitates *distinctæ:* quælibet seorsìm nominatur, et ab aliis distinguitur per copulam *et.*—Realitates *divinæ:* Et primò, Pater est persona divina, fatentur omnes. Ergo et Filius, et Spiritus S.; siquidem eorum *nomine*, sicut in nomine Patris, conferendus est Baptismus proindè remittendum est peccatum originale, porro Deus solus potest remittere peccata. —Realitates *personales:* Ex textu sequitur Patrem et Filium et Spiritum S. habere et conferre jura, proindè exercere actus rationales et proprios; atqui solummodò ad personam possunt competere jura, facultas jura concedendi, actus rationales et proprii, seu actus quorum agens dominium attributionemque conservet.

Joan. 14, 16: *Ergo rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Ibid. 15, 26: *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In his textibus affirmantur:—*tres* realitates: *Ego, Patrem, Paracletum.*— Realitates *distinctæ:* quælibet singillatim nominatur. Aliundè cuilibet attribuuntur operationes distinctæ. — Realitates *divinæ*: Pater, omnium consensu, est Deus. Ergo et Filius; siquidem eadem semper est natura patris et filii. Ergo et Spiritus S.; siquidem *à Patre procedit*, seu producitur à Patre per communicationem totalem subs-

tantiæ. — Realitates *personales:* Unicuique enim attribuuntur in textu actus rationales et proprii. Actus rationales : Pater dat Paracletum ; Filius rogat, mittit Paracletum; Spiritus perhibet testimonium. Actus proprii: actus enim à quolibet subjecto perficiuntur et ipsi attribuuntur.

I Joan. 5, 7 : ***Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt*** (1). In hoc textu affirmantur — ***tres*** realita-

(1) Licèt præfatus versiculus S. Joannis desideretur in pluribus sacrorum Bibliorum exemplaribus, attamen immeritò eum tanquàm supposititium rejiciunt recentiores biblici cum socinianis ac rationalistis. Siquidem, ait P. Perrone, tract. *de SS. Trinit.* c. 2, « certum est ea (verba) reperiri in antiquissimâ versione Vulgata, » ut neque adversarii diffitentur ; hæc citâsse Patres Africanos, » quadringentos nempè episcopos sæc. Ecclesiæ V, in disputatione » cum Vandalis arianis sub Hunnerico habitâ ; ea allegâsse Patres » antiquissimos, Eucherium, Phæbadium, utrumque Idacium, præter » Tertullianum et Cyprianum, qui apertè saltem ad ipsa alludunt, » ut omittamus posteriores Patres ; certum pariter est in antiquissimis codicibus græcis ea reperta fuisse, ut patet ex recensione » Hieronymiana, quam exhibet vetustissimus codex Bœticus, qui » exaratus est ex ipsis membranis quas ex dictatu sancti Hieronymi » exceperunt notarii ad eum missi à Lucio Bœtico. Porro sanctus » Hieronymus professus est se ex mandato Damasi R. P. Novum » Testamentum græcæ fidei reddidisse ; argumento igitur ineluctabili est olim in græcis codicibus palæstinensibus quibus S. Doc» tor usus est hunc versiculum exstitisse. Idem dic de complexio» nibus Aurelii Cassiodori, qui eas confecit juxta præstantiores » codices græcos, quos præ manibus habebat. Proinde cùm reperiatur comma istud in Vulgata, quæ antiquissima est, utpotè ævo » apostolico confecta, quæque omnibus codicibus græcis qui supersunt est anterior, juxta criticæ regulas est retinendum, atque » catholicæ doctrinæ est ineluctabile argumentum. » Vid. fusiùs Tournely, *de Trin.* q. 4, art. 1, prob. 1, quart. argum.; Wirceburg. tract *de Deo uno et trino*, disp. 5, cap. 2, *quæres* post art. 3 ; *Theolog. curs. compl.* tom. 8, col. 115 et seq., etc., etc.

tes: *Pater*, *Verbum*, *Spiritus S.*—Realitates *distinctæ*: Quælibet singillatim prædicatur. — Realitates *divinæ*: Omnium consensu Pater est Deus; ergo et Filius, et Spiritus S., siquidem *unum sunt*, proindè eamdem habent essentiam.— Realitates *personales*: Cuilibet enim attribuitur actus rationalis et proprius: *Tres sunt qui testimonium dant*....

2° Textus speciales.

1ª Ppo. In Deo, Pater, persona divina. Ab omnibus *admittitur*.

2ª Ppo.—In Deo, Filius, persona divina à Patre distincta.

Joan. 1, 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum... Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Joan. 1, 18: *Deum nemo vidit unquàm, Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit.* Joan. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Marc. 14, 61: *Rursùm summus sacerdos interrogabat eum et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum... Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam... Qui omnes condemnaverunt eum esse dignum mortis.* Rom. 9, 5: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Philip. 2, 6: *Qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Joan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus.* Joan. 5, 23: *Ut omnes honorificent Fi-*

lium, sicut et honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Apoc. 1, 8: *Ego sum... principium et finis, dicit Dominus qui est, qui erat et qui venturus est omnipotens.* Col. 2, 3: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et intellectûs.* Col. 1, 16: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* Joan. 11, 25: *Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me non morietur in æternum.*

Undè sic: In Deo,

Filius: *Unigenitus qui est in sinu Patris... Filium suum Unigenitum.* Summo sacerdoti eum interroganti: *Tu es Christus, Filius Dei benedicti?* Jesus respondit: *Ego sum.*

Filius, persona: 1. Pater est persona, proindè Filius. 2. Filio attribuuntur actus rationales et proprii. Actus rationales: *Filius... ipse enarrabit.* Respondet summo sacerdoti: *Arbitratus est esse se æqualem Deo.* Actus proprii: siquidem ab ipso producuntur et de ipso prædicantur.

Filius, persona divina: 1. Filius est à Patre genitus, proindè ipse Deus. 2. Appellatur Deus: *Super omnia Deus benedictus in sæcula.* 3. Possidet naturam divinam: *Et Deus erat Verbum... Cùm in formâ* (natura) *Dei esset... esse se æqualem Deo... Ego et Pater unum sumus.* 4. Filio attribuuntur honores divini: *Ut omnes honorificent Filium, sicut et honorificant Patrem.* Filio attribuuntur perfectiones divinæ; v. g. æternitas: *Qui est, qui erat, qui venturus est;* omnipotentia: *Qui venturus est omnipotens;* omniscientia: *in quo sunt*

omnes thesauri sapientiæ et intellectûs. Filio attribuuntur opera divina; v. g. creatio: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil... Omnia per ipsum et in ipso creata sunt;* miraculorum effectio: *Ego sum resurrectio et vita.*

Filius, persona divina A PATRE DISTINCTA: 1. Filius necessariò distinguitur à Patre. 2. Distinctio Filii et Patris clarè et explicitè patet ex textibus: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum... Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrabit... Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ergo.

3ª Ppo.—In Deo, SPIRITUS S., persona divina à Patre et Filio distincta.

Joan. 14, 25: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Act. 5, 3: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus sed Deo.* I Cor. 6, 19: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti qui in vobis est?* I Cor. 12, 6: *Et divisiones operationum sunt: idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem... Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult.* I Cor. 6, 11: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* I Cor. 2, 10: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Matth. 12, 28: *Ego in Spiritu Dei ejicio dæmones.*

Undè sic: In Deo

SPIRITUS S.: patet ex quolibet textu.

Spiritus, PERSONA: Siquidem 1. in textibus Spiritui S. attribuuntur actus rationales et proprii. Actus rationales: *Ille vos docebit omnia... dividens singulis proùt vult.* Actus proprii: siquidem isti actus ab Ipso producuntur et ipsi attribuuntur. 2. Ananias redarguitur à S. Petro eo quòd mentitus sit Spiritui Sancto. Membra nostra, juxta Apostolum, sunt templum Spiritûs Sancti. Porro hæc omnia de personâ solâ, non verò de merâ facultate affirmari possunt.

Spiritus, persona DIVINA: Siquidem 1. appellatur Deus: *non es mentitus hominibus, sed Deo.* Juxta D. Paulum, *Deus... operatur omnia in omnibus.* Et infrà, distributio gratiarum attribuitur Spiritui S. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Ergo Spiritus S. est Deus; alioquin falsò affirmaretur Deum operari omnia in omnibus. Christus ait: *In Spiritu Dei ejicio dæmones;* porro Spiritus eamdem naturam habere debet, quàm ens cujus Spiritus est. 2. Spiritus eodem ordine nominatur quo Filius, porro Filius est Deus: *Justificati estis in nomine D. N. Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* 3. Spiritui S. attribuuntur perfectiones divinæ, v. g. omniscientia: *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Ipsi attribuuntur operationes divinæ, v. g. miraculorum efficientia: *in Spiritu Dei ejicio dæmones;* peccatorum remissio, et regeneratio: I Cor. 6, 11: *Abluti estis, sanctificati estis...;* collatio donorum: I Cor. 12, 4: *Et divisiones operationum sunt.* In aliis locis Spiritui S. attribuuntur inspiratio prophetarum, I Petr. 1, 11; sanctificatio, II Thess. 2, 12, et

I Petr. 1, 2; diffusio charitatis, Rom. 5, 5; resurrectio mortuorum, Rom. 8, 11; regimen Ecclesiæ, Act. 13, 2: quæ omnia sunt opera divina.

Spiritus, persona divina A PATRE ET FILIO DISTINCTA: Distincta à Patre: *Spiritus, quem mittet Pater.* Distincta à Filio: *Abluti estis... in nomine D. N. Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Filius ipse dicit: *In Spiritu Dei ejicio dæmones. Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo.*

II. De Traditione christianâ.

Cùm adversarii admittant dogma Trinitatis apud Christianos viguisse post Concilium Nicænum, id est IV° sæculo, sufficiat exponere traditionem præcedentium temporum.

Porro ista traditio constat 1. professionibus fidei, 2. confessionibus martyrum, 3. testimoniis Patrum, 4. factis, quorum alia directè, alia indirectè probant fidem primorum sæculorum.

I. Professionibus fidei.

1° Symbolo Apostolico, quod, juxta eruditos, vim obtinuit à primævis temporibus: *Credo in Deum Patrem..., et in Jesum Christum Filium ejus unicum... Credo in Spiritum Sanctum.*

2° Fidei professione editâ à Patribus Alexandrinis, in epistolâ ad Paulum Samosatenum, in quâ, exposito fidei dogmate de Filii divinitate ac de Trinitate, testantur, ità et prædicâsse SS. Patres, et sibi confitendum profitendumque tradidisse.

3° Professione S. Gregorii Thaumaturgi: *Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo... Filius verus veri*

Patris... Unus Spiritus Sanctus... imago Filii perfecti perfecta... Trinitas perfecta, quæ gloriâ, æternitate ac regno nec divisa est, nec alienata.

II. Confessionibus martyrum.

1° In actis martyrum Lugdunensium, qui passi sunt sub Marco Aurelio, anno 161 legitur S. Epipodium hæc verba coram præside protulisse : *Christum cum Patre ac Spiritu Sancto esse Deum confiteor.*

2° S. Polycarpus, qui, ut ait S. Irenæus, « non solùm ab Apostolis edoctus (fuerat) et conversatus cum multis ex eis qui Dominum viderunt ; sed etiam ab Apostolis in Asiâ, in eâ quæ est Smyrnis Ecclesiâ constitutus Episcopus. (Qui) docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ et Ecclesia tradidit, et sola sunt vera. » Hic, inquam, in oratione quam ante martyrium fudit, Patrem æternum sic compellat : *Propterea et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum, dilectum Filium tuum, per quem tibi cum Ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in futura sæcula sæculorum. Amen.* (Apud Euseb. l. 4 histor. c. 15.)

III. Testimoniis SS. Patrum.

Sæculo I. — S. Clemens Papa, ep. I ad Cor. : *An non unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum gratiæ in nobis infusum?* — S. Ignatius, martyr., in ep. ad Eph. : *Studete ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quæ facitis, prosperè vobis succedant carne et spiritu, fide et charitate in Filio, et Patre, et Spiritu Sancto... Subjecti estote Episcopo et vobis mutuò, ut Jesus Christus Patri secundùm carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui Sancto.*

Sæc. II. — S. Justinus, in Apol. 2: *Fatemur nos talium deorum esse expertes et atheos: sed non verissimè illius Dei Patris videlicet justitiæ et castitatis, et virtutum omnium, et ab omnis vitii mixtione et labe alieni expertes; verum hunc ipsum, et qui ab eo venit... Filium, et Spiritum Sanctum colimus et adoramus.* — Athenagoras, legat. pro christianis n. 10: *Quis igitur non miretur nos, qui Deum Patrem prædicamus et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, ita ut et unionis eorum vim, et ordinis distinctionem exponamus, impios et sine Deo homines vocari?* — S. Irenæus, l. 1 adv. hæres. c. 10, n. 1: *Ecclesia... et ab Apostolis, et à discipulis eorum accepit eam fidem quæ est in Unum Deum Patrem omnipotentem.... et in Jesum Christum Filium Dei incarnatum pro nostrâ salute, et in Spiritum Sanctum.*

Sæc. III. — Clemens Alexandrinus, l. 3 Pædag. c. 12: *Laudemus unum Patrem et Filium unà cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum... Cui gloria nunc, et in sæcula sæculorum. Amen.* — Tertul. lib. de Pudicitiâ, c. 21: *Est Trinitas unius Divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.*

Origenes, S. Dionysius Alex., Lactantius, S. Augustinus, unanimi ore confitentur dogma Trinitatis.

IV. Factis.

1° *Directè* probatur fides primævorum Ecclesiæ temporum circa dogma Trinitatis sequentibus factis: 1. Formâ Baptismi, quæ à primo fidei christianæ exordio semper in Ecclesiâ viguit, juxta mandatum Christi, Matth. 28. — Trinâ immersione, quæ olim erat in

usu ad expressionem Trinitatis, ut observat Tertul. contra Praxeam, c. 26: *Christus.... et novissimè mandans ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in singulas personas tingimur.* — 2. Doxologiâ *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto,* quæ, recepta à primis Ecclesiæ sæculis, in fine canticorum adhibebatur. — Usu antiquissimo preces publicas offerendi *rerum universarum Patri, per nomen Filii et Spiritûs Sancti,* ut testatur S. Justin. in Apol. 2.

2° *Indirectè* probatur fides Ecclesiæ factis sequentibus: 1. Dogma Trinitatis nunc admittitur, hoc dogma non fuit inventum, ergo à Christo fuit revelatum, ergo admittendum est ut veritas divina. — 2. Pagani sæpiùs accusabant Christianos, dicentes illos adorare tres Deos, vel ridebant de illorum Deo trino simul et uno. In dialogo *Philopatris,* qui Luciano adscribitur, inducitur quidam Critias jurans per varios ethnicorum Deos, quos respuens Triophon, vult ut Critias juret per *Deum altè regnantem, magnum, immortalem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria. Hæc tu Jovem puta, hunc existima Deum.* Porro hæc supponunt quamdam notitiam dogmatis christiani ad paganos pervenisse.

III. Fide et decisionibus Ecclesiæ.

Dogma Trinitatis explicitè continetur in Symbolis Apostolorum, S. Athanasii, Nicæno et Constantinopolitano. Omnia ista Symbola ab Ecclesiâ fuerunt admissa tanquàm veræ fidei confessiones. Imò Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum contra hæreticos redacta et

recepta fuerunt à duobus Conciliis generalibus; proindè meritò, appellari possunt decisiones Ecclesiæ. Porro hæc habentur in prædictis Symbolis: Symb. Apost.: *Credo in Deum Patrem omnipotentem... et in J. C. Filium ejus unicum... Credo in Spiritum Sanctum.* Symb. S. Athanasii: *Fides catholica hæc est; ut Unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs Sancti: sed Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas...* Symb. Nicæn. et Cp.: *Credo in Unum Deum, Patrem omnipotentem.... et in Unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum...et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit...*

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS (1).

Divinarum personarum proprietates sunt: una *absoluta*, aliæ *relativæ*. Per proprietatem *absolutam* intelligimus modum existendi proprium personis divinis, consideratis absolutè, seu abstractâ omni relatione. Per proprietates *relativas* intelligimus modum exis-

(1) Hoc verbum *proprietas*, ut observat Suarez, *de Trin.* l. 5, in prooemio, sumi potest in duplici sensu: in sensu generali, et in sensu magis stricto. Sub priori, quale nunc usurpatur, comprehendi possunt omnia quæ de divinis personis prædicantur. In sensu magis stricto, vox *proprietas* propriè applicatur *personalitati*, quæ dicitur *proprietas personalis*, ut infrà videbitur.

tendi proprium divinis personis consideratis sub respectu relationum.

ARTICULUS I.

De Proprietate absolutâ.

Quælibet persona possidet totam divinam essentiam, id est substantiam divinam, cum omnibus proprietatibus et attributis divinis essentialibus. Suprà enim vidimus quamlibet personam esse divinam; proindè unaquæque possidet substantiam divinam; proindè, cùm substantia divina sit infinitè perfecta, unaquæque possidet perfectiones sive activas, sive passivas Deo essentiales.

ARTICULUS II.

De Proprietatibus relativis.

Divinæ personæ habent relationes inter se; habent relationes cum creaturis. Undè dicendum de proprietatibus relativis sequentibus ex relationibus quas divinæ personæ 1° habent inter se, 2° habent cum creaturis.

§ I. — De propriet. relat. seq. ex relationibus quas divinæ personæ habent inter se.

Istæ proprietates sunt aliæ *communes* tribus personis (1), aliæ *speciales*.

PUNCT. I. *De Proprietatibus communibus.*

Duæ sunt proprietates communes, scilicet 1° æqualitas, 2° circuminsessio.

(1) Proprietates quas vocamus *communes* non sequuntur ex rela-

I^a^. *Æqualitas.* — Tres personæ sunt coæquales.

Prob. 1^a^. In quâlibet personâ tota est essentia divina; proindè unaquæque est infinita, proindè tres personæ sunt æquales, cùm in infinito non admittantur gradus.

Prob. 2^a^. Symb. S. Athanasii: *In hâc Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales* (1).

II^a^. *Circuminsessio.* — Divinæ personæ in se mutuò inexistunt absque confusione.

Prob. 1^a^. Divinæ personæ 1° *in se mutuò inexistunt:* Siquidem ibì persona est, ubi ejus essentia; proindè, cùm eadem essentia divina sit in quâlibet personâ, tres personæ inexistunt in unâquâque personâ. 2° In se inexistunt *absque confusione:* Siquidem quælibet persona est irreductibilis.

Prob. 2^a^. Joan. 14, 10: *Non creditis, quia Ego in Patre, et Pater in me est?* Joan. 17, 21: *Sicut tu, Pater, in me, et Ego in te.* Quæ, licèt de Patre et Filio tantùm dicta sint, tamen eâdem ratione de Spiritu S. vera sunt, ut communiter docent SS. Patres (2).

PUNCT. II. *De Proprietatibus specialibus.*

1^a^. Filius à Patre solo procedit per modum intellectûs, seu procedit per generationem.

2^a^. Spiritus S. à Patre Filioque procedit per spirationem.

tione *reali* inter divinas personas, cùm deducantur ex identitate essentiæ, sed tantùm ex relatione *rationis*. Vid. Suarez, l. 5, c. 2, n. 1.

(1) Præter Petavium, Wirceburg. etc., vid. Suarez, *de Trin.* l. 4, c. 15 et 16; Becan. *Summa theol.* de Trin. c. 8, q. 1.

(2) Vid. Petav. *de Trin.* l. 4, c. 16, n. 13, et l. 5, c. 9, n. 3.

3ª. Filius à Patre solo mittitur.

4ª. Spiritus S. à Patre et Filio mittitur.

1ª. Filius à Patre solo procedit per modum intellectûs, seu per generationem.

Prænot. Dicimus *Filius procedit*, seu producitur per totalem communicationem essentiæ principii producentis ; — per modum *intellectûs;* seu producitur à Patre immediatè per actum intellectûs (1). — Ista Filii processio dicitur *generatio.*

Porro, juxta D. Thom. 1 p., q. 27, art. 2, generatio in genere est : *origo viventis à principio vivente conjuncto secundum similitudinem naturæ ;* seu, productio viventis et similis à principio vivente per communicationem naturæ. Quo posito,

Propositio superiùs enuntiata sequentes includit: 1. Filius procedit à Patre, 2. procedit à Patre solo, 3. procedit per modum intellectûs, 4. ista processio est generatio.

1ª Ppo.—Filius procedit à Patre.

Prob. 1ª. In Scripturâ, Traditione, fide et decisionibus Ecclesiæ, Filius dicitur *Filius* verus Patris, Filius *genitus* à Patre, id est à Patre productus per communicationem totalem substantiæ.

Prob. 2ª. Joan. 8, 42: *Ego ex Deo processi et veni.*

2ª Ppo. — Filius à Patre solo procedit.

Prob. 1ª. Arg. theol. 1º Infrà videbitur Spiritum S.

(1) Durandus conserat processiones, sive Filii, sive Spiritûs S., esse immediatè per naturam, non verò per intellectum et voluntatem. Sed ista opinio est temeraria. Vid. Suarez, l. 1, c. 5, n. 2 et seq.

procedere à Filio, ergo Filius à Patre solo procedit; Filium procedere per modum intellectûs, Spiritum verò per actum voluntatis, porro actus voluntatis præsupponit actum intellectûs, proindè Spiritus S. præsupponit Filium.

2° In Scripturâ, Traditione, symbolis et decisionibus Ecclesiæ, tres personæ ordine sequenti nominantur, scilicet : Pater, Filius, Spiritus S. Ordo tàm constans absque intentione observari non potest; porro nulla alia ratio afferri potest quàm intentio prædicandi ordinem processionum. Ergo Filius à Patre solo procedit.

Prob. 2ª. Symb. S. Athan. *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.*

3ª Ppo.—Filius procedit per modum intellectûs.

Prob. 1ª. In pluribus Scripturæ textibus, Filius appellatur *Verbum* Patris, porro verbum est immediatè ab intellectu.

Prob. 2ª. *Tradit.* S. Basilius, homil. 6 in illud *In principio erat Verbum,* quærit *Cur Verbum?* et respondet : *Ut perspicuum sit processisse ex mente.* S. Gregorius Nazian. orat. 36 : *Verbum porro dicitur, quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem.* S. Aug. lib. 15 de Trin. c. 13 : *Verbum natum est... de Patris scientiâ, de Patris sapientiâ.* Idem communiter docent alii SS. Patres (1).

4ª Ppo. —Processio Filii vera est generatio.

Prob. 1ª. In processione Filii adsunt omnes genera-

(1) Vid. fusiùs Tournely, *de Trin.* q. 2, art. 3, concl. 1; Suarez, supr. cit.

tionis conditiones. Siquidem, ut suprà definimus, generatio est actus principii viventis, vi cujus propriâ producitur per communicationem substantiæ terminus vivens secundum similitudinem naturæ. Porro hæc est processio Filii : Pater ab ævo se videns, vi propriâ actûs intelligentiæ, veram parit imaginem suî ; imaginem infinitè perfectam, cùm actus intelligentiæ sit infinitè perfectus ; imaginem proindè viventem, substantialem, personalem, in quâ vita et essentia divina perfectissimè reflectitur. Ergo.

Prob. 2ª. In pluribus Scripturæ locis, Filius dicitur à Patre genitus : *Ego hodie genui te. Unigenitus Filius qui est in sinu Patris.*

Prob. 3ª. Symb. S. Athan. : *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* — Symb. Nicæn. : *Credo... in Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum ; et ex Patre natum...*

IIª. Spiritus S. à Patre Filioque procedit per spirationem, seu per actum amoris.

Not. Duplex distinguitur spiratio, *activa* nempè, quæ nihil aliud est quàm actus amoris, et *passiva*, seu amor productus. Quo præmisso,

Propositionis superiùs enuntiatæ constabit veritas, si probentur sequentes, scilicet : 1. Spiritum procedere à Patre, 2. procedere à Filio, 3. procedere per spirationem, 4. si probetur hanc processionem non esse generationem. Atqui,

1ª Ppo. — Spiritus S. à Patre procedit.

Prob. 1ª. Joan. 15, 26 : *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Prob. 2ª. Symb. S. Athan.: *Spiritus Sanctus à Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*. Symb. Nicæn.: *Credo... et in Spiritum Sanctum... qui ex Patre... procedit.*

2ª Ppo.—Spiritus S. à Filio quoque procedit.

Prob. 1ª. *Arg. theol.* 1º Spiritus S. producitur per voluntatem, seu facultatem amandi; porro voluntas communis est Patri et Filio. 2º Spiritus S. producitur per spirationem activam; proindè procedit à personis quibus competit spiratio. Porro spiratio competit Filio *sicut et* Patri, quia nihil in Filio repugnat spirationi.

Prob. 2ª. Joan. 16, 13: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Undè sic: 1. Filius dicit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Ergo habet omnia quæ Pater, exceptâ Paternitate, seu omnia quæ non repugnant filiationi; proindè ipsi competit spiratio, cùm non repugnet filiationi. 2. Spiritus S. accipit à Filio, *quia de meo accipiet* (1). Ergo procc-

(1) « Quæres quare dixerit *accipiet* in futuro, et non potiùs *accepit* in præterito. Respondeo cum Augustino, tract. 99 in Joan. » acceptionem illam æternam esse: et continere in se eminenter » omnia tempora et ad omnia accommodari posse. *In eo*, inquit, » *quod sempiternum est, cujuslibet temporis verbum ponatur,* » *sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur...* Poterat igitur dicere: *de meo accipit, de meo accepit, de* » *meo accipiet.* Dixit tamen: *de meo accipiet*, quia loquebatur de » Spiritu S. qui tanquàm legatus à Patre et Filio mittendus erat ad

dit à Filio ; siquidem una persona divina non potest accipere ab aliâ, nisi procedendo.

Joan. 15, 26 : *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Undè : Spiritus mittitur à Filio. Porro persona divina non mittitur propriè nisi ab eo à quo procedit. Omnis enim missio est vel per imperium , vel per consilium , vel ratione processionis. Atqui missio Spiritûs S. dici non potest per imperium , nec per consilium, cùm Spiritus S. sit æqualis Filio. Ergo prædicta missio est ratione processionis. Ergo.

Galat. 4, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater.* Undè : Spiritus dicitur *Spiritus Filii*, vel quia est facultas , habitudo Filii , vel quia ab ipso procedit. Porro prius dici non potest ; ergo.

Prob. 3ª. *Tradit.* 1° Argum. Præscriptionis. Tempore Photii admittebatur dogma processionis Spiritûs S. à Filio ; de hoc dogmate non fuit innovatum. Ergo illud dogma fuit à Christo revelatum.

2° SS. Patres, tùm Græci, tùm Latini qui ante Photii tempora exstiterunt clarè et expressè profitentur processionem Spiritûs S. à Filio.

Ex Græcis, S. Athanasius , orat. 3. contra Arian. n. 24 : *Nec Spiritus Verbum cum Patre conjungit, sed potius Spiritus hoc à Verbo accipit... Quæcumque Spiritus habet, hoc à Verbo habet.* Et lib. de Incarnat., in-

» Apostolos ; legati autem tunc solent instrui quandò mittuntur. » Becan. *Sum. theol.* de Trin. c. 6, q. 2, n. 3.

illud Psal. 35 : *Apud te est fons vitæ...*, ait : *Norat David apud Deum Patrem Filium esse fontem Spiritûs Sancti.* S. Basilius, lib. de Spir. S. c. 18 : *Quia et Spiritus Christi dicitur... Denique tanquam Paracletus in se ipso exprimit Paracleti, à quo missus est, bonitatem, et in sua propria dignitate ejus, à quo processit, majestatem exhibet.* Idem docet prædictus Pater in pluribus aliis operum suorum locis, ut probatum est contra Græcos in Conc. Florentino. S. Epiphanius, in Anchorato, n. 67 : *Et Dei Spiritus à Christo, utpotè qui ab utroque procedit, id quod Christus ipse testatur : qui à Patre procedit, inquit, et hic de meo accipiet.* S. Cyrillus Alex., in epistolâ ad Nestorium, quæ lecta et approbata fuit in œcumenicis Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II et III, hæc habet : *Spiritus non est à Filio alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est; et proindè quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* Idem tradunt S. Gregorius Nyssen., S. Joan. Chrysostomus, Didymus, etc.

Ex Latinis sufficiet proferre S. Hilarium, qui, l. 2 de Trin. n. 4, scribit Spiritum S. esse *ex Patre et Filio auctoribus*; S. Ambrosium, qui explicitè docet Spiritum S. *à Patre Filioque* procedere ; S. Leonem, qui, ep. 4 ad Turrib. c. 1, ait : *Qui de utroque processit* (1).

Prob. 4ª. Symb. S. Athan.: *Pater à nullo... Filius à Patre solo est... Spiritus Sanctus à Patre et Filio.* Symb. Constp.: *Credo... et in Spiritum Sanctum... qui ex Patre Filioque procedit.*

(1) Vid. fusiùs Petav. l. 7 de Trin.

Prob. 3ª. Auctoritate Conciliorum, quæ ex utrâque Ecclesiâ congregata fuère. Primum apud Barum celebratum est à Græcis simul et Latinis, sub Urbano II, an. 1097, in quo S. Anselmus evidentissimis rationibus Græcos convicit. Secundum est Lateranense IV, sub Innocentio III, an. 1215, in quo consentientibus Græcis definitum est : *Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter absque initio semper et fine*... Tertium est Lugdunense II sub Gregorio X, an. 1274, in quo symbolum cum additione *Filioque* ter græcè et ter latinè cantatum fuit. Quartum deindè fuit Florentinum, sub Eugenio IV, an. 1439, in quo post longissimas disputationes rursùs definitum est: *Spiritum sanctum ex Patre et Filio, tanquàm ab uno principio et unâ spiratione procedere.*

3ª Ppo.—Spiritus à Patre Filioque procedit per spirationem.

Prob. 1ª. *Fide Eccles.* quæ specialiter exprimitur in his vers. hymn. Pentecost.:

> Qui diceris Paraclitus,
> Altissimi donum Dei,
> Fons vivus, ignis, charitas,
> Et spiritalis unctio.

Prob. 2ª. *Decis. Eccl.* Conc. Lugdun. II docet : *Patrem et Filium unâ spiratione producere Spiritum Sanctum.* Idem definit Conc. Florent. suprà citatum.

4ª Ppo.— Ista processio Spiritûs S. non est generatio, sed dicitur simpliciter *Processio.*

Prob. 1ª. In pluribus Scripturæ locis, Filius dicitur *unigenitus;* ergo in Deo una tantùm est generatio. Aliundè nusquàm in Scripturis Spiritus S. vocatur Fi-

lius; nec dicitur gigni aut nasci, sed tantùm procedere.

Prob. 2ª. Testim. SS. PP. inter quos S. Basilius in orat. contra Sabellian.: *Filius à Patre per generationem, Spiritus verò ex Deo modo arcano et ineffabili.* S. Cyrillus Alex. l. 25 Thes. de Filio sic loquitur: *Unigenitus est... quia ipse solus est fructus paternus.* Et paulò infrà: *Non est igitur eâ ratione unigenitus, quod solus existat, sed quod solus naturaliter genitus sit.* Vid. fusiùs testim. PP. apud Petav. l. 7, c. 13.

Prob. 3ª. Symb. Apost.: *Credo... in Jesum Christum Filium ejus unicum.* Symb. Nicæn.: *Credo... in Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum.* Symb. S. Athan.: *Spiritus sanctus... non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Explic. Hæc propositio, quæ est de fide, per solam auctoritatem potest probari; constat enim nullâ sufficienti et satis firmâ ratione demonstrari posse discrimen inter generationem Filii et processionem Spiritûs S. *Sive capias, sive non capias,* ait S. Augustin. l. 2 contra Maxim. c. 14, *de Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus; sed ille genitus est, iste procedens: quid autem inter nasci et procedere intersit de illâ excellentissimâ naturâ loquens explicare quis possit? Non omne quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur. Hæc scio: distinguere autem inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Consonant omnes SS. Patres.

Præmissâ autem fide, Doctores catholici hanc propositionem explicare tentârunt. Præcipuas inter hujus dogmatis explicationes, hæc est D. Thomæ et plurium sententia: Processio Spiritûs S. non potest dici genera-

tio, quia fit per voluntatem, voluntas autem naturâ suâ non tendit ad productionem termini similis, sed tantùm ad unionem amantis et amati. Dùm econtrà processio Filii meritò dicitur generatio, quia fit per intellectum, cujus propria vis est ut terminum sibi assimilet (1).— Quidam quoque dicunt: Filius productus per potentiam generativam est infinitus; proindè per processionem Filii exhauritur in Deo potentia generativa; proindè in Deo altera generatio fieri non potest. —Diversæ dantur etiam explicationes; earum autem expositionem, utpotè longiorem, omittemus (2).

III^a. Filius à Pâtre solo mittitur.
IV^a. Spiritus S. à Patre et Filio mittitur.

Præmittenda: Missio est: Unius personæ à personâ ex quâ procedit destinatio ad aliquod opus ad extrà (3). —Dicitur *passiva*, aut *activa:* proùt consideratur respectu personæ missæ, aut personæ mittentis. *Personæ unius ab aliâ destinatio ad aliquem effectum ad extrà.* In hoc sensu sumpta missio dicitur *passiva*, est autem *activa* quandò consideratur respectu personæ mittentis. —Missio potest esse invisibilis aut visibilis. Dicitur

(1) *Sum. theol.* 1 p., q. 27, art. 1 et 2, et q. 34, art. 2.

(2) Vid. fusiùs Suarez, *de Trin.* l. 11, c. 5 et seq., Petav. *de Trin.* l. 7, c. 13, Tournely, q. 2, art. 4; Wirceburg. disp. 6 *de personis div.* c. 1, art. 2, quær. 2; *Theol.* curs. compl. t. 8; Billuart, etc.

(3) Ex communi theologorum definitione colligitur missionem, partim quidem esse æternam, scilicet ratione processionum, partim verò temporalem, ratione operis ad extrà. Sed cùm æterna processio sit de se indifferens ad mitti aut non mitti, et indeterminata, propterea missio simpliciter dici potest temporalis et in tempore fieri, juxta illud Galat. 4, 4: *At ubi venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum.* Vid. Suarez, l. 12, c. 1; Petav. l. 8, c. 1.

visibilis, quandò fit in specie sensibili, v. g. missio Filii in carne humanâ, missio Spiritûs S. in specie columbæ, flatûs, linguarum ignearum. Dicitur autem invisibilis, quandò fit sine specie sensibili, v. g. missio Spiritûs S. interiùs sanctificantis animas per gratiam habitualem aut actualem. Quo posito,

Duæ propositiones superiùs enuntiatæ probari possunt in communi, in specie.

Prob. *general.* Persona divina potest mitti ab illâ à quâ procedit, et ab illâ tantùm. Ergo Filius mittitur à *Patre solo*, cùm à Patre solo procedat. Ergo Spiritus *S. mittitur* à Patre et Filio, cùm ab utroque procedat.

1° Persona divina potest mitti ab illâ à quâ procedit: Siquidem 1. personâ à quâ procedit altera, quamdam, ut ità dicam, habet auctoritatem in hanc personam (1); proindè illam mittere potest. 2. In Scripturâ, personæ divinæ mittuntur à personis à quibus procedunt. 3. Unanimiter consentiunt Patres et theologi.

2° Persona divina mittitur tantùm ab illâ à quâ procedit: Siquidem 1. nulla est in divinis auctoritas, dignitas, nisi penès originem, quâ una ab aliâ procedit. 2. Nunquàm in Scripturis persona legitur missa, nisi ab illâ à quâ procedit. 3. De hoc unanimiter consentiunt Patres et theologi. Ergo.

Prob. special. 1ª *p.* Filius à Patre solo mittitur.

(1) Ità ratiocinantur SS. Patres. Missionem, in eo qui mittit, *dignitatem*, *auctoritatem* testari indicat S. Gregor. Naz. orat. 37, qui de Spiritu S. dixisse Christum observat: *Ego mittam eum*, et *Veniet; quorum priore auctoritatem suam ostendit, posteriore, verò Spiritus potestatem.* Item S. Hilarius, l. 8 *de Trin. Qui mittit, potestatem suam in eo, quod mittit, ostendit.* Vid. Petav. l. 8, c. 1, n. 8.

— Mittitur à Patre: Joan. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Joan. 20, 21: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos.* — Mittitur à Patre solo: Siquidem à Patre solo procedit. Aliundè nusquàm in Scripturis dicitur missus à Spiritu S.

2ª p. Spiritus S. à Patre Filioque mittitur. Joan. 14, 26: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Joan. 15, 26: *Cùm venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Ergo Spiritus S. mittitur à Patre et Filio. Joan. 16, 7: *Si abiero, mittam eum* (Paracletum) *ad vos.* Ergo Spiritus S. mittitur à Filio.

COROLLARIA.

Ex anteà dictis sequentia deduci possunt corollaria 1° de processionibus divinis, 2° de relationibus, 3° de proprietatibus personalibus propriè dictis, 4° de notionibus divinis, 5° de nominibus quæ unicuique personæ specialiter attribuuntur.

I. De Processionibus divinis.

In Deo duæ et duæ tantùm sunt processiones. Siquidem in Deo tot sunt processiones, quot personæ productæ. Porro duæ et duæ tantùm sunt personæ productæ. Ergo.

II. De Relationibus divinis.

Relatio in genere est: habitudo quâ entia ad se mutuò referuntur et habent respectum: aliis verbis, relatio constat entis proprietate, quæ supponit in altero ente proprietatem correlativam. Quo posito,

In Deo sunt quatuor tantùm relationes originis, scilicet: Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva et Spiratio activa; relationes reales et essentiales, quarum tribus primis constituuntur personæ divinæ.

In Deo sunt quatuor tantùm relationes originis: Siquidem, ut suprà diximus, processiones sunt tantùm duæ, porro ex unâquaque processione non consurgunt nisi duæ relationes. Ergo. Ex unâquaque processione non consurgunt nisi duæ relationes: quia una processio tantùm habet unum principium et unum terminum. Ità in processione Filii sunt relationes generantis et geniti, in processione Spiritûs-S. sunt relationes spirantis et spirati. Ergo.

Relationes reales et essentiales: Siquidem istæ relationes consurgunt ex processionibus, quæ in Deo sunt reales et essentiales.

Quarum tribus primis constituuntur personæ divinæ. Siquidem, cùm divinæ personæ communem habeant essentiam divinam, simulque sint realiter distinctæ, agnoscendum est aliquid speciale quo constituantur in esse personæ et sic distinguantur. Porro solummodò relationibus, et solummodò tribus primis constituuntur in esse personæ et distinguuntur.—Solummodò relationibus constituuntur...: siquidem in divinis omnia sunt communia et absoluta, nec ulla est distinctio, nisi ubi

obviat relationis oppositio. — Solummodò tribus, scilicet: Pater, paternitate; Filius, filiatione; Spiritus, spiratione passivâ : siquidem cùm spiratio activa communis sit Patri et Filio, dici non potest relatio constitutiva alterutriusque, sed tantùm distinctiva à Spiritu S.

Ideò tres relationes constitutivæ à theologis dicuntur relationes *realiter distinctæ* (1).

III. De Proprietatibus personalibus propriè dictis.

Proprietas personalis, juxta theologos, est forma positiva unicuique personæ propria, illiusque *constitutiva*.

Ex illâ definitione patet proprietates personales nihil aliud esse quàm relationes personis peculiares; tres proindè tantùm admittendas esse, scilicet: Paternitatem, Filiationem, Spirationem passivam. Hoc sensu universa Ecclesia dicit in Præfat. Trinit.: *Et in personis Proprietas, et in Essentiâ unitas.* Et Conc. Lateran. IV: *Firmiter hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam una, et secundum Personales Proprietates discreta.*

Quidam Patres et Theologi numerant Innascibilitatem, seu Improducibilitatem, inter proprietates personales, quia specialis est Patri. Sed meritò rejicitur à plerisque; siquidem est aliquid merè negativum, porro persona non constituitur persona negatione, sed formâ positivâ (2).

IV. De Notionibus divinis.

Notio, juxta D. Thomam, est ratio propria cognos-

(1) Vid. fusiùs Suarez, l. 5.

(2) Vid. fus. Suarez, l. 7, cc. 1, 2 et seq.

cendi personam divinam; seu, aliquid peculiare, quo personæ divinæ à se invicem distinguuntur. Notio concipitur instar formæ cujusdam abstractæ, quâ, veluti charactere, persona una vel duæ personæ ab aliâ distinguuntur (1).

In Deo quinque sunt notiones, scilicet: Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva; et quinque tantùm.—Quinque notiones assignatæ meritò dicuntur notiones, patet ex definitione. Quinque tantùm admittendæ sunt: siquidem quidquid aliud de *divinis* prædicatur, vel non habet notionis characteres, vel potest comprehendi, sub quinque notionibus assignatis.

V. De Nominibus quæ unicuique personæ specialiter attribuuntur.

Prima Persona meritò dicitur:

1º *Pater:* Siquidem ab illo procedit Filius verus per generationem perfectissimam.

2º *Primum principium:* 1. Quòd solus ille sit sine principio, juxtà illud D. Bernardi, de Consid. l. 5, c. 8: *principium propriè est quod caret principio;* 2. quòd ab illo procedant Filius et Spiritus S.; 3. quòd ab illo, cum Filio et Spiritu S., vel per Filium et Spiritum S., omnia creata constent.

3º *Prima persona:* Siquidem Filius et Spiritus S. ab illo procedunt; proindè Pater dici potest anterior, anterioritate rationis.

4º *À se, innascibilis, improductus:* Quia ipse à nullo, aliæ verò personæ ab illo divinam naturam habent.

(1) D. Thom. 1 p. q. 32, art. 2 et seq.; Suarez, l. 5, c. 8 et 9.

Secunda Persona meritò dicitur :

1° *Filius:* cùm procedat à Patre per generationem veram.

2° *Verbum Dei:* Verbum internum nihil aliud est quàm cogitatio, locutio interna quâ cognoscimus et nobis interiùs dicimus quid simus, quid sint res externæ. Ità Filius, qui procedit per actum intellectûs Patris, ipse est cogitatio interna quâ Pater videt et sibi interiùs dicit quid ipse sit, quid sint res creatæ.

3° *Veritas:* Veritas est Ens, quatenùs per intelligentiam percipi potest. Porro Filius est Ens, cùm totam habeat naturam divinam; Ens, quatenùs per intellectum percipi potest : Siquidem, ipse est cogitatio substantialis, verbum substantiale Patris ; ipse est lumen procedens à Patre.

4° *Lux, Lumen:* Lumen est id in se visibile, quo objecta fiunt visibilia. Porro omnia fiunt per verbum Deo et hominibus visibilia, omnia cognoscuntur. Et 1° Deo : per verbum enim Deus seipsum videt, cognoscit seipsum, et omnia entia creata. 2° Hominibus : testatur Joannes, 1 : *Et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ;* id est : Omnes et singulos homines illuminat luce rationis et intelligentiæ ; et luce fidei ac gratiæ nullus est hominum qui nisi ab ipso illuminetur.

5° *Imago Dei:* Siquidem imago est similitudo ab aliquo expressa : porro Filius procedit à Patre similis in naturâ, vi suæ processionis : ergo vera et propria est imago Patris. Constat etiam ex Scripturâ : à D. Paulo Filius dicitur, in ep. ad Colos. 1 : *imago Dei invisibilis*, et ad Hæbr. 1 : *figura substantiæ ejus.*

6° *Secunda persona:* Siquidem procedit à Patre et cum illo producit Spiritum S. Proindè, in ordine rationis, dici potest posterior Patri, anterior verò Spiritui S.

Tertia Persona meritò dicitur :

1° *Sanctus Spiritus:* Et 1. *Spiritus;* quia terminus est divini amoris, amor autem est quædam voluntatis spiratio, seu impulsio in rem amatam. 2. *Sanctus;* quia spiratur ab essentiali sanctitate, spiratione purissimà.

2° *Amor, Charitas:* Tùm quia procedit ex amore *Patris* et Filii; tùm quia terminus est subsistens et personalis amoris mutui Patris et Filii.

3° *Donum, primum Donum:* Et 1. *Donum;* quia procedit per amorem; porro amor naturà tendit ad unionem amantis et amati, seu nihil aliud est quàm donum sui ipsius. 2. *Primum donum;* tùm ratione excellentiæ, quia ipse est amor substantialis, personalis; tùm quia ab ipso profluunt omnia dona, donum enim confertur propter amorem, porro Spiritus est amor.

4° *Tertia persona:* Siquidem à Patre et Filio procedens, ratione dici potest posterior Patri et Filio.

Notandum. — Omnes proprietates naturæ sunt communes tribus personis. Nihilominùs quædam ex istis proprietatibus modo speciali attribuuntur tali personæ, quia propinquiorem habent relationem cum proprietatibus unicuique personæ propriis.

Ità, specialiùs attribuuntur :

Patri : 1° *æternitas,* cùm Pater sit Ens Innascibile, à quo cuncta procedunt, 2° *potentia*, quia Pater est primum principium ; ipsi proindè censetur inesse soli potentia, quæ est omnium ratio, vel causa.

Filio : 1° *intelligentia*, siquidem Filius est Verbum Patris, intelligentia in actu, intelligentia in supremo gradu perfectionis ; 2° *sapientia*, cùm sapientia nihil aliud sit quàm intelligentia, quatenùs discernit finem et ad finem coordinat media convenientia.

Spiritui Sancto : *bonitas*, quia Spiritus S. est amor ; porro amor inclinat ad benefaciendum, seu ad exercendam bonitatem.

§ III. De Proprietatibus relat. seq. ex relationibus quas divinæ personæ cum creaturis habent.

Punct. I. *De Proprietatibus communibus.*

1° Quælibet persona concurrit ad mundi creationem, conservationem, gubernationem. Siquidem actus prædicti producuntur per potentiam, intelligentiam, voluntatem ; porro tres istæ facultates communes sunt tribus personis.

2° Tres personæ reflectuntur in rebus externis, ità ut in omnibus creaturis quædam inveniantur vestigia, quædam imagines impressæ Trinitatis (1).

Punct. II. *De Proprietatibus specialibus.*

Ex omnibus operibus ad extrà, specialiùs attribuuntur :

Patri : *Creatio ;* etenim Patri per appropriationem attribuitur potentia, cujus creatio est effectus.

Filio : 1° *Ordo rerum* ; siquidem ordo nihil aliud est quàm collectio mediorum ad finem accommodatè tendentium, discretio mediorum, eorumque accommo-

(1) Vid. tractat. nostrum *de Locis theologicis*, vol. 1, pag. 278 et seq.

datio ad finem fit per sapientiam; porro sapientia specialiter attribuitur Filio. 2° *Legislatio:* Directio moralis entium moralium ad finem, evidenter attinet ad sapientiam. 3° *Judicium ultimum:* Judicium constat sanctione post debitam legis applicationem ad examen actuum; porro præcipuè legislatoris est applicandi legem sanctionemque à se latam.

Spiritui S. 1° *Vivificatio:* quia vivificatio nihil aliud est quàm donatio vitæ; porro spiritus est principium vitæ. Siquidem potest et vult dare vitam. Potest, cùm sit amor, proindè principium activum, proindè vita; vult, cùm sit charitas, bonitas suprema. 2° *Mundi gubernatio:* Gubernatio fit dono mediorum ad finem; porro omne donum à supremâ charitate descendit. 3° *Incarnatio,* saltem quatenùs spiritus est causa efficiens: siquidem Incarnatio est donum medii excellentissimi ad finem. 4° *Distributio gratiæ:* Hoc evidens est ex opinione juxta quam gratia est ipsa persona Spiritûs S. in animâ inhabitantis in eâque operantis. Hoc etiam verum est juxta theologos affirmantes gratiam esse principium vitæ supernaturalis, siquidem Spiritus est principium vitæ, cùm sit amor.

APPENDIX.

De modo loquendi in exponendo SS. Trinitatis mysterio.

Regula generalis. Quicumque sermonem habet de SS. Trinitate diligenter attendat quis sit communis loquendi usus, et quænam rerum adjuncta. Sunt enim ambi-

guæ quædam locutiones, quas sapiens vitare, aut saltem explicare debet, ne pias aures temerè offendat.(Hæc aliundè regula semper observanda est quotiescumque de dogmatibus habendus est sermo.)

Regulæ speciales. In Deo, una est essentia, tres sunt personæ distinctæ, et coæquales. Undè :

1ª *Reg.* Cavendum est à locutionibus, quæ distinctionem tùm naturæ, tùm attributorum absolutorum, significarent.

2ª *Reg.* Vitandum est quidquid personarum distinctionem tollit.

3ª *Reg.* Fugiendæ sunt loquendi rationes quibus tollitur personarum æqualitas.

Ex istis regulis sequentia deducimus :

Ex 1ª *Regulâ*:—1º Dici non potest : In Deo est *triplicitas*, Deus est *triplex;* nam juxta communem usum istæ voces non solas personas, sed ipsam multiplicant naturam. Benè verò dici potest : *Trinitas*, Deus est *trinus;* ex usu istæ voces designant solas personas. 2º Dici non potest : *Aliud* est Pater, *aliud* est Filius... Benè verò : *Alius* est Pater... Ex usu communi, pronomina neutrius generis substantiam designant, generis autem masculini personam directè respiciunt. 3º Personæ divinæ dici non possunt *similis naturæ*, quia illud supponit plures esse naturas ; benè verò : *similes in naturâ*. 4º Dici non potest in Deo *tria* esse *individua;* plura enim individua diversam numero naturam indicant. 5º Dici non potest : *Essentia generat*, *essentia generatur;* hæc enim videntur supponere aliam esse essentiam quæ generat, aliam quæ generatur. Benè verò dicitur : *Deus generat, Deus generatur ;* quia tunc

ista vox *Deus* non sumitur absolutè pro essentiâ, sed relativè pro unâ speciali personâ.

Ex 2ª *Regulâ:* — 1° Dici non potest: Deus est *singularis, solus, solitarius;* quia ista verba non deorum tantùm, sed personarum pluralitatem excludunt. Dicitur tamen: *Deus est Unus;* in istâ loquendi ratione *unus* designat naturam. 2° Dici non potest: Filius *unus* est cum Patre, quia excluderetur Spiritus S. Benè verò dicitur: Filius unum est cum Patre.

Ex 3ª *Regulâ:* — Non licet dicere: Personæ sunt *dispares, dissimiles, differentes, disparatæ,* etc., quia istæ voces naturæ differentiam includunt.





II. DE ACTIBUS DIVINIS *AD EXTRA*.

Attributa divina manifestantur ad extrà triplici modo : 1° *Creatione*, 2° *Conservatione*, 3° *Providentiâ*, seu gubernatione entium creatorum, sive in ordine physico, sive in ordine morali, tùm naturali, tùm supernaturali.

Omissis quæ pertinent ad creationem, conservationem et providentiam in ordine physico (de quibus alibi dictum est), nunc tractandum de Providentiâ Dei erga hominem sub respectu morali consideratum.

DE PROVIDENTIA DEI

ERGA HOMINEM

SUB RESPECTU MORALI CONSIDERATUM.

Dicenda sub hoc titulo duplici quæstione comprehenduntur : 1° utrùm Deus provideat homini quatenùs homo est ens morale ; 2° quibus actibus?

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM DEUS PROVIDEAT HOMINI, QUATENUS HOMO EST ENS MORALE ?

Resp. Affirmativè.

Prob. 1ª. Existit providentia in ordine physico ; ergo à fortiori in ordine morali, qui priore multò excellentior est.

Prob. 2ª. Providentia lato sensu sumpta, prout in præsenti quæstione accipitur, est : *præordinatio æterna entium ad finem per media, simulque hujus præ-*

ordinationis exsecutio. Ergo admittenda est providentiæ, de quâ agitur, existentia, si 1° Deus homini, sub respectu morali considerato, assignaverit finem, et ad hunc finem media instituerit; si 2° hæc ordinatio sit æterna; si 3° decreta posita certò sint à Deo exsequenda. Atqui hæc tria certa sunt.

1° Deus assignavit homini, enti morali, finem et media.—Hæc propositio constat 1 ex suprà dictis, initio hujus *Expositionis theologicæ*, q. 1 et 2. Ibi enim probavimus hominem à Deo ad finem ultimum destinatum, simulque conditiones ad finem obtinendum *institutas* fuisse. Constat 2. ex consensu populorum, qui omnes admiserunt vitam æternam, et religionem complectentem omnia media ad eam obtinendam necessaria.

2° Ordinatio prædicta est æterna: Nam in hypothesi contrariâ, voluntas Dei, quoàd actus futuros, esset indeterminata, ut evidens est; imò instabilis, siquidem, primò indeterminata, fieri posset determinata: quæ repugnant Dei infinitæ perfectioni.

Æterna ordinatio est certò à Deo exsequenda. Nam 1. in hypothesi contrariâ, Deus mutaret consilium, et argui posset de inconstantiâ; quod impossibile est. 2. Sap. 8, 1: *Attingit... à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*. Ibid. 12, 13: *Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus*. I Petr. 5, 7: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. His textibus nulla imponitur limitatio quoàd materiam et quoàd tempus; ex eis proindè concludi potest gubernatio divina, præsens et futura, non solùm in ordine physico, sed etiam in ordine morali.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUIBUS ACTIBUS DEUS HOMINI PROVIDEAT IN ORDINE MORALI?

Resp. Triplici actuum serie, actibus *ante* tempus, *in* tempore, *post* tempus. De quibus nunc.

Primâ serie actuum constituitur *præordinatio*, seu *providentia strictè dicta;* secundâ et tertiâ, *exsecutio*, seu *gubernatio;* tribus simul junctis, *providentia, in sensu lato.*

I.

DE ACTIBUS PROVIDENTIÆ

ANTE TEMPUS.

Præordinatio Dei uno et æterno actu realiter constat; cùm autem actus iste, in suâ unitate considerari non possit, distinguenda sunt ejus quasi elementa, et secundum ordinem rationis exponenda.—Porro, vi abstractionis, in actus sequentes, juxta ordinem suum dispositos, resolvitur.

1º Inter status possibiles Deus eligit statum homini assignandum.

2º Vult hominis salutem, mediaque ad eam consequendam necessaria.

3º Prædestinat alios ad gloriam, alios ad pœnam æternam.

ACTUS PRIMUS.

INTER STATUS POSSIBILES DEUS ELIGIT STATUM HOMINI ASSIGNANDUM.

Duo requirit hujus actûs explicatio : 1. expositio statuum possibilium, 2. determinatio statûs homini à Deo assignati. Undè quærendum 1° quinam sint status possibiles ; 2° quinam status à Deo determinati ?

QUÆSTIO I.

QUINAM SINT STATUS POSSIBILES ?

Præmittenda. Status quoàd præsentem quæstionem est : *certa quædam naturæ humanæ conditio in ordine ad finem ultimum.*

In omni statu, duplicis generis elementa distingui possunt, scilicet : essentialia et accidentalia. Elementa *essentialia* sunt finis et media. Per verbum elementa *accidentalia*, designantur quædam adjuncta, quibus conditio humana fit melior aut pejor. — Proindè status à statu differre potest elementis essentialibus, elementis accidentalibus : indè statuum divisiones et subdivisiones.

1° Status est alter naturalis, alter supernaturalis.

Naturalis : id est, naturæ humanæ accommodatus, et illi, positâ creatione, saltem debitus.— *Naturalem* dicimus statum in quo finis et media ad finem sunt naturalia. Per vocem *finis naturalis* designatur Deus, quatenùs est cognitus abstractè, seu per ideam inter mentem humanam et Deum intermediam, et amatus

amore cognitioni prædictæ proportionato. Per vocem *media naturalia* designantur facultates humanæ, quatenùs sunt naturaliter aptæ ad Deum cognoscendum et amandum; imò auxilium divinum indebitum adjuvans mentem ad cognitionem et amorem Dei intra sphæram naturalem.

Supernaturalis: id est, excedens naturam humanam et ipsi indebitus.— *Supernaturalem* dicimus statum in quo finis et media ad finem sunt supernaturalia. Per vocem *finis supernaturalis* designatur Deus videndus intuitivè, id est, facie ad faciem seu absque intermedio, et amandus fruitivè seu immediatè. Per vocem *media supernaturalia* designantur media quibus mens humana visionis intuitivæ et amoris fruitivi fit capax, scilicet: gratia supernaturalis, habitualis et actualis, et media ad eam obtinendam destinata.

2° Status naturalis potest esse, vel status naturæ puræ, vel status naturæ integræ.

Status *naturæ puræ,* id est sibi derelictæ, est status in quo, cum fine et mediis naturalibus, homo nasceretur sine peccato, sed obnoxius ignorantiæ, errori, concupiscentiæ, dolori, morbo et morti.

Status naturæ *integræ,* id est dono gratuito ad perfectionem naturæ possibilem elevatæ, est status in quo, cum fine et mediis naturalibus, homo nasceretur absque peccato, et exemptus ignorantià, errore, concupiscentià, dolore, morbo et morte.

3° Statùs supernaturalis species pendent ex variis hypothesibus quæ de hoc statu fieri possunt.

1. Positâ elevatione ad finem supernaturalem, homo potest nasci, vel absque gratià sanctificante, sed cum

mediis eam acquirendi : tunc status dicitur *supernaturalis sine addito;* — vel cum gratiâ sanctificante, et status dicitur *justitiæ originalis.*

2. Elementis statûs justitiæ originalis addi possunt accidentalia statûs naturæ integræ, et status dicitur *innocentiæ;* — vel accidentalia statûs naturæ puræ, qui status nullum inter theologos nomen sortitus est.

3. Homo potest in statu sibi assignato perseverare, et tunc status dicitur *perseverantiæ;* — aut non perseverare, et status dicitur *naturæ lapsæ.*

4. Homo lapsus potest non reparari, et status dicitur *naturæ lapsæ non reparatæ;* — vel reparari, et status dicitur *naturæ lapsæ reparatæ.*

5. Reparatio, si supponatur, potest esse imperfecta, et status dicitur *naturæ absque satisfactione perfectâ reparatæ;*— vel perfecta, et status dicitur *naturæ satisfactione perfectâ reparatæ.* Quibus positis,

Resp. In genere possibiles sunt omnes et soli status, nec in se, nec divinis perfectionibus repugnantes.

Duabus propositionibus æquivalet principium positum :

1ª Impossibiles sunt status in se, vel divinis perfectionibus repugnantes.—Impossibiles sunt status repugnantes in se : nam quod repugnat in se absolutè et cuilibet enti impossibile est ; — vel divinis attributis : nam imperfectum, imò malum est ens naturam suam actibus contradicere ; Deus proindè, eligendo statum perfectionibus repugnantem, imperfectus et malus evaderet, quod impossibile est.

2ª Possibiles sunt status in se, aut divinis attributis non repugnantès : nam Deus, utpotè infinitè liber et

potens, omnia potest, exceptis tantùm actibus qui in se, vel divinis attributis repugnant.

Ex hoc principio deducuntur omnes propositiones ad materiam præsentem spectantes.

Ex primâ propositione : *Impossibiles sunt status in se, vel attributis divinis repugnantes*, tria deducuntur corollaria :

Corol. I. Impossibilis est omnis status in quo Deus non esset finis ultimus hominis, siquidem in Quæst, I[a], initio hujus *Expositionis theologicæ*, probavimus Deum, positâ hominis naturâ, non potuisse ei assignare finem ultimum à se distinctum.

Corol. II. Impossibilis est omnis status in quo homo non haberet media Deum cognoscendi et amandi. Siquidem homo solummodò per cognitionem et amorem Deo frui potest ; ergo, si homini deessent media ad cognoscendum et amandum Deum necessaria, ad finem pervenire non posset ; proindè Deus sibi contradiceret, assignando finem simulque denegando media ad finem, quod impossibile est.

Corol. III. Impossibilis est omnis status in quo homo nasceretur vitiatus culpâ absolutè independenti à facto humano. Nam in dictâ hypothesi Deus esset auctor peccati, quod repugnat ipsius Sanctitati.

Ex alterâ propositione : *Possibiles sunt omnes status in se, et perfectionibus divinis non repugnantes*, deducuntur corollaria sequentia, quæ ab omnibus Christianis admittuntur omnia, excepto tamen corollario de possibilitate statûs naturæ puræ, quæ rejicitur à Luthero, Calvino, Baio et Jansenio.

Corol. I. Possibilis est status *naturalis in genere*.

Prob. 1ª. Non repugnat in se, seu naturæ humanæ; nec attributis divinis.

1° Non repugnat *in se*, scilicet non opponitur naturæ humanæ: secùs natura humana exigeret finem et media supernaturalia, id est, sibi dignitate superiora, quod absurdum est.

2° Non *attributis divinis:* non sapientiæ: nam sapientia id unum exigit, scilicet ut homini assignentur finis Deo dignus et media fini proportionata; porro finis naturalis est Deo dignus, cùm sit Deus ipse; et media naturalia fini naturali proportionata. Non bonitati: nam bonitati sufficienter satisfit, si conditio hominis talis sit ut existentia ipsi sit potior quàm non existentia; atqui, etiam in statu naturali, existentia est homini nihilo præferenda. Non justitiæ: nam justitia solummodò exigit ut Deus det homini finem et media ipsius naturæ strictè accommodata. Non sanctitati: id unum repugnaret divinæ sanctitati, si homo nasceretur vitiatus peccato ab humano facto prorsùs independenti; porro in statu naturali homo nasceretur à peccato immunis.

Prob. 2ª. Si status naturalis non est possibilis, ergo destinatio hominis ad visionem intuitivam non est gratia, sed homini debita; non est supernaturalis, sed naturalis: porro hæc propositio contradicit Ecclesiæ fidei, ejusque auctoritati dogmaticæ, cùm propositio sequens, 21 Baii: *Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ, debita fuit integritati primæ creationis, ac proindè naturalis dicenda est, et non supernaturalis*, approbante Ecclesiâ, damnata fuit à Pio V anno 1567, à Gregorio XIII an. 1579, ab Urbano VIII an. 1641.

Corol. II. Possibilis est status *naturæ puræ*.

Prob. 1ª. Res ità est, si accidentia statûs naturæ puræ, scilicet ignorantia, error, concupiscentia, dolor, morbus et mors non repugnent naturæ humanæ, nec perfectionibus divinis. Atqui,

1º Non repugnant naturæ hominis, 1. Ignorantia: cùm intelligentia humana sit finita. 2. Error: etenim intellectus humanus in errorem incidit ideas oppositas consociando, quia rerum naturam ignorat. 3. Concupiscentia: homo enim naturaliter constat carne et spiritu; ratione carnis, propensionem habet ad bonum sensibile; ratione spiritûs, habet propensionem ad bonum spirituale: porro ex his contrariis propensionibus spontè nascitur luctamen carnis contra spiritum, seu concupiscentia. 4. Dolor: dolor est naturæ humanæ possibilis et conveniens. Possibilis: facto constat. Conveniens: anima enim debet saluti corporis invigilare, proindè de ipsius malo subitò moneri, simulque moveri ad malum amovendum; porro nullum ad hos fines obtinendos medium dolore efficacius, ut evidens est. 4. Morbus et mors: corpus humanum, sicut corpus quodlibet dividi et alterari potest vi causarum externarum, ac proindè naturâ suâ, morbo et morti obnoxium est.— Ex suprà dictis constat accidentia naturæ puræ ex naturâ hominis spontè fluere, nedùm illi repugnent.

2º Non repugnant divinis attributis: nec sapientiæ, nec bonitati, nec justitiæ, propter rationes in præcedenti propositione expositas;

Nec sanctitati: Si status naturæ puræ sanctitati divinæ repugnaret, maximè ratione peccati aut concupiscentiæ. Porro 1. non ratione peccati: nam homo in hoc statu absque peccato nasceretur. 2. Neque ratione

*

concupiscentiæ: concupiscentia in statu naturæ puræ, homini innata, repugnaret sanctitati Dei, vel quia esset in se mala, vel quia esset occasio peccati; atqui neutrum dici potest. Non quia esset in se mala: etenim concupiscentia, seu colluctatio carnis contra spiritum, oritur ex appetitu boni sensibilis, qui in se conformis est naturæ mixtæ hominis, et nihil in se mali continet. Non quia est occasio peccati: hæc enim occasio peccati ex naturâ hominis oritur, ut suprà probatum est; est libera, nam homo potest resistere concupiscentiæ; maximam utilitatem importat, concurrit enim ad conservationem et ad meritum hominis. Ergo, salvâ sanctitate, Deus potest concupiscentiam non destruere, siquidem ex consensu omnium licet ponere, à fortiori non tollere occasionem peccati, si adsint rationes sufficientes.

Prob. 2ª. Propositiones sequentes Baii: *Deus non potuisset talem creare hominem qualis nunc creatus est... Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ, sed naturalis ejus exaltatio*, damnatæ sunt à Pio V, Gregorio XIII, Urbano VIII.

Corol. III. Possibilis est status *naturæ integræ.*

Prob. 1ª. Res ità est, si Deus potuerit, privilegio speciali, homini, etiam in statu naturali posito, perfectiones concedere oppositas defectibus naturæ puræ; atqui Deus hoc potuit. Talis enim concessio 1. non repugnat naturæ humanæ, quæ hoc dono perficitur, nedùm destruatur. 2. Nec repugnat divinis perfectionibus, quæ illâ concessione perfectiùs manifestantur.

Prob. 2ª. Deus concessit has perfectiones primo

homini, ergo perfectiones illæ sunt possibiles in statu innocentiæ; ergo in statu naturali, si nulla assignari possit ratio valida differentiæ statuum sub illo respectu: porro nulla assignari potest.

Corol. IV. Possibilis est status *supernaturalis in genere.*

Prob. 1ª. Ad hoc sufficit ut Deus possit homini concedere capacitatem visionis intuitivæ et media ad eam obtinendam necessaria; atqui hæc concessio possibilis est. Etenim 1. non repugnat naturæ humanæ, siquidem capacitati visionis abstractæ addi potest capacitas visionis intuitivæ; mediis obtinendi visionem abstractam addi possunt media obtinendi visionem intuitivam, quin indè destruatur natura humana. 2. Nec repugnat perfectionibus divinis; econtrà perfectiones divinæ hoc dono perfectiùs manifestantur.

Prob. 2ª. Status supernaturalis primitùs exstitit et nunc existit; ergo possibilis est.

Corol. V. Possibilis est status *supernaturalis sine addito.*

Prob. Si impossibilis esset status ille, maximè quia repugnaret hominem destinatum ad finem supernaturalem nasci sine gratiâ justificante, quæ est medium necessarium ad visionem intuitivam. Porro hæc ratio nulla est, nam in hoc statu homo haberet gratiam actualem, cujus ope gratiam sanctificantem obtinere posset.

Corol. VI. Possibilis est status *justitiæ originalis.*

Prob. 1. Nedùm hic status repugnet, econtrà magis consentaneus est homini ad visionem intuitivam destinato; siquidem in hoc statu homo ab ortu possideret

gratiam sanctificantem, medium immediatum ad finem. 2. Nec repugnat divinis attributis, quæ indè perfectiùs quàm in præcedenti statu manifestarentur.

Corol. VII. Possibilis est status *in quo elementis status supernaturalis essentialibus consociantur accidentia statûs naturæ puræ.*

Prob. Hæc unio 1. non repugnat proprietatibus hominis naturalibus : siquidem probavimus possibilitatem statûs naturæ puræ. 2. Nec repugnat proprietatibus hominis ad statum supernaturalem elevati : nulla enim essentialis oppositio assignari potest inter gratiam sanctificantem et accidentia statûs naturæ puræ, ità ut gratia necessariò destruatur ignorantiâ, errore, concupiscentiâ, dolore, morbo, morte. Aliundè in statu actuali homo subjicitur accidentibus naturæ puræ, et potest simul possidere gratiam sanctificantem. 3. Unio prædicta non repugnat perfectionibus divinis : in hoc statu perfectiùs manifestantur quàm in statu naturæ puræ, qui tamen est possibilis.

Corol. VIII. Possibilis est status *innocentiæ*, seu status in quo elementis statûs supernaturalis consocientur accidentia statûs naturæ integræ.

Prob. 1ª. Consociari possunt accidentia naturæ integræ statui naturali ; à fortiori statui supernaturali, qui multò perfectior est.

Prob. 2ª. Adam creatus est in hoc statu. Ergo.

Corol. IX. Possibilis est status *perseverantiæ.*

Prob. Nam Deus constanter præbuit homini media ad finem, quorum ope liberè perseverare potest.

Corol. X. Possibilis est status *naturæ lapsæ.*

Prob. In statu naturæ lapsæ comprehenduntur : 1.

peccatum hominis, 2. lapsus hominis à statu priori per peccatum. Atqui hæc duo sunt possibilia.

1° Possibile est peccatum hominis : homo enim possidet libertatem contrarietatis, undè potest inter bonum et malum eligere.

2° Possibilis est lapsus hominis in statum inferiorem per peccatum : lapsus est Adam, ipsius peccato lapsa quoque tota humanitas ; hic lapsus reputatur omnium profundissimus ; possibilis est ergo quilibet lapsus in genere, si prior fuerit possibilis. Atqui,

1. Possibilis fuit lapsus Adami : nam Deus potuit privilegia, quibus Adamum donaverat, ipsius fidelitati alligare ; quo posito, Adam per peccatum perdit cum gratiâ privilegia obedientiæ promissa, labitur proindè in statum inferiorem.

2. Possibilis fuit lapsus totius humanitatis : duo includit lapsus posteritatis Adami : amissio privilegiorum naturæ humanæ indebitorum ; peccatum originale. Porro hæc duo sunt possibilia. Amissio privilegiorum : nam Deus potuit, salvis perfectionibus, punire peccatum patris privando filios donis eorum naturæ indebitis. Peccatum originale : variæ quidem sunt opiniones circa hujus peccati naturam ; quidquid autem sit, ejus impossibilitas nequit probari, et possibilitas saltem concluditur ex ejus existentiâ per revelationem certò probatâ.

Corol. XI. Possibilis est status *naturæ lapsæ non reparatæ.*

Prob. 1ª. Deus nullâ lege tenetur reparare hominem liberè lapsum.

Prob. 2ª. Deus angelos lapsos non reparavit, ergo à pari poterat hominem lapsum non reparare.

Prob. 3ª. Si status naturæ lapsæ non reparatæ est impossibilis, ergo necessaria fuit reparatio, ergo jam non est actus misericordiæ divinæ, quod contradicit Scripturæ et fidei Ecclesiæ.

Corol. XII. Possibilis est status *naturæ reparatæ*.

Hæc propositio evidenter includitur in sequentibus.

Corol. XIII. Probabilior est opinio eorum qui affirmant *possibilem* esse hominis *reparationem absque satisfactione perfectâ.*

De quæstione præsenti duplex est inter theologos opinio: Juxta *primam*, attentâ solummodò potentiâ Dei, possibilis est reparatio absque satisfactione perfectâ; impossibilis est autem, attentâ ratione sanctitatis et justitiæ, nam perfectiones istæ exigunt ut Deus odio infinito peccatum persequatur et puniat quamdiù existit; porro existit quamdiù pro eo plenè non est satisfactum. *Secunda* autem opinio negat necessitatem satisfactionis perfectæ ad reparationem. Equidem, inquiunt ipsius defensores, homo perversus, in suâ perversitate manens, non potest Deo reconciliari; obstant sanctitas et justitia: sed gratias actuales recipiens potest illarum ope ad Deum se convertere. Porro, positâ conversione, nihil obstat peccatorum remissioni, et, remisso peccato, sanctitas et justitia jàm non exigunt satisfactionem perfectam. Quæ opinio videtur *probabilior*.

Corol. XIV. Possibilis est *reparatio per satisfactionem perfectam.*

Prob. Infrà probabimus Verbum Incarnatum perfectam pro peccatis hominum satisfactionem Deo obtulisse; ergo realis est satisfactio perfecta, à fortiori possibilis.

QUÆSTIO II.

QUINAM SINT STATUS A DEO DETERMINATI, *id est*, A DEO DECRETI VEL PERMISSI?

Resp. Tres sunt status à Deo determinati: 1° decrevit statum innocentiæ, 2° permisit lapsum hominis, 3° decrevit reparationem.

Omnes actus Dei ad extrà voluntate æternâ prædeterminantur, ergo prædicti status à Deo fuerunt ab æterno determinati, si reverà in tempore exstiterunt; atqui rem ità esse ex dicendis constabit.

ACTUS SECUNDUS.

DEUS VULT HOMINIS SALUTEM, MEDIAQUE AD EAM CONSEQUENDAM NECESSARIA.

Prænot. 1. Juxta Prædestinatianos, Deus solos electos vult salvare. 2. Calviniani censent quosdam homines esse à Deo exclusos à gloriâ, etiam ante peccatum originale, et *antelapsarii;* solùm post peccatum originale, et *postlapsarii* appellantur. 3. Jansenistæ fatentur quidem Deum, ante peccatum originale, omnium voluisse salutem; admittunt etiam in Deo post peccatum originale voluntatem salutis omnium, sed otiosam, sterilem, nec præbentem homini gratias verè et relativè sufficientes.

Catholici admittunt generaliter in Deo voluntatem salutis omnium sinceram, ità ut Deus omnibus conferat gratias verè et relativè sufficientes. Quidam tamen, inter quos Sfondratus et Vasquez, excipiunt parvulos ante baptismum defunctos.

Undè actus prædicti probatio et explicatio tres exigit quæstiones: 1° utrùm Deus velit salutem hominum; et, in hypothesi affirmativâ, quorum hominum; 2° utrùm Deus velit hominibus media ad salutem necessaria, et quibus hominibus; 3° quali voluntate Deus velit salutem et media?

QUÆSTIO I.

UTRUM DEUS VELIT SALUTEM HOMINUM, ET QUORUM HOMINUM?

Resp. 1° Deus voluit salutem omnium hominum in statu innocentiæ. 2° Posito peccato originali, Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum. 3° Etiam posito peccato originali, Deus vult salutem omnium et singulorum hominum. 4° Specialiter vult salutem infantium sine baptismo morientium.

Iª Ppo. — Deus voluit salutem omnium hominum in statu innocentiæ.

Prob. 1ª. Ex dicendis infrà, Deus primo homini et in Adamo ejus posteritati contulit media ad salutem, scilicet gratiam sanctificantem, gratias actuales, privilegia statûs innocentiæ; ergo voluit salutem omnium, siquidem Ens summè sapiens non potest velle media quin simul et finem velit.

Prob. 2ª. In statu innocentiæ, sicut in statu præsenti, non fuisset sors æterna inter visionem intuitivam et reprobationem æternam media. Quo posito, homines innocentes à salute exclusi ad damnationem æternam solâ voluntate divinâ fuissent creati, quod repugnat sapientiæ, bonitati et justitiæ Dei.

IIª Ppo. — Posito peccato originali, Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum. (*Ppo est de fide.*)

Prob. 1ª. *Arg. theol.* In propositione sequenti probabimus Deum velle salutem omnium hominum, à fortiori Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum.

Prob. 2ª. *Script.* Joan. 6, 39 : *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.* Ibid. 17, 12 : *Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*... Ex primo textu, Deus vult salutem *omnium* quos Filio dedit. Ex secundo, inter eos quos Filio dedit, unus *periit*, scilicet *filius perditionis*. Ergo Deus voluit salutem unius hominis qui periit ; ergo vult salutem aliorum quàm prædestinatorum.

Joan. 6, 40: *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt Filium et credit in eum habeat vitam æternam.* Ibid. 3, 16 : *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Deus vult vitam æternam iis qui credunt in Filium; porro omnes qui credunt in Filium non salvantur ; ergo Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum.

Prob. 3ª. *Fid. et auct. Eccl.* Hæc habet symb. Nicæn.: *Credo... in unum D. N. J. C., qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de cœlis. Et incarnatus est... Crucifixus etiam pro nobis.* Concil. Trid. sess. 6, c. 6, de adultis qui accedunt ad baptismum ut purificationem accipiant sic loquitur : *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Undè sic : Omnes homines ex fide divinâ credere tenentur Christum natum, passum et crucifixum fuisse *propter salutem* hominum ; specialiter baptizati tenentur credere

Deum sibi propter Christum propitium fore. Ergo certum est, alioquin ex fide divinâ non esset credendum, Christum velle omnium salutem, Deum baptizatis propter Christum propitium fore. Porro tamen, nec omnes homines, nec etiam omnes baptizati salvantur; ergo Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum.

Ab Innocentio X, et Alexandro VII, in constitutionibus ab universali Ecclesiâ acceptis, hæc 5ª Jansenii propositio: *Semi-pelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse,* ut hæretica fuit damnata, eo sensu intellecta, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit. Ergo *de fide* est contradictoria, scilicet Christum mortuum esse pro aliis quàm prædestinatis. Ergo Deus vult salutem aliorum quàm prædestinatorum; vult enim salutem omnium pro quibus mortuus est.

IIIª Ppo.— Etiam posito peccato originali, Deus vult salutem omnium et singulorum hominum. (*Ppo fidei proxima.*)

Prob. 1ª. *Arg. theol.* Inferiùs, ubi *de Gratiâ* probabimus Deum omnibus offerre gratias sufficientes; ergo vult omnium salutem, nam si Ens sapiens vult media, vult finem.

Prob. 2ª. *Script.* Matth. 18, 11: *Venit... filius hominis salvare quod perierat.* I Tim. 2, 4 et seq. *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* II Petr. 3, 9: *Patienter agit propter vos* (Dominus); *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Nulla

est ratio textus citatos à sensu naturali detorquendi; porro in hoc sensu accepti evidenter æquivalent nostræ propositioni.

Prob. 3ª. *Tradit.* Fatente Jansenio, ab omnibus græcis Patribus propositio admittitur.

Inter Latinos autem, S. Cyprianus, epist. 52, scribit: *Deus utique neminem vult perire.* S. Ambrosius, lib. de Paradiso: *Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores... ostendit omnibus quòd omnes voluit liberare.* S. Augustinus, de spiritu et litterâ, c. 23: *Vult autem Deus omnes salvos fieri, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium.*

Prob. 4ª.*Fid. et auctor. Eccl.* Conclusio superiùs deducta ex Symbolo Nicæno propositioni actuali sicut et præcedenti applicari potest.

Conc. Trid. sess. 6, c. 3: *Verùm, etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium receperunt, sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur.*

Propositio Jansenii superiùs citata: *Semi-pelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse*, ut falsa, temeraria et scandalosa damnata fuit.

Prob. 5ª. *Arg. indirect.* Si rejicienda esset propositio, maximè quia Deus quibusdam hominibus media ad salutem necessaria denegaret; porro hoc falsum esse ex infrà dicendis constabit.

IVª Ppo.— Specialiter Deus vult salutem infantium sine baptismo morientium.

Prob. 1ª. Deus vult salutem omnium, ergo infantium non baptizatorum.

Prob. 2ª. II Cor. 5, 14: *Si unus* (Christus) *pro om-*

nibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Ergo Christus mortuus est pro omnibus qui in Adamo mortui sunt; ergo mortuus est pro infantibus qui òmnes in Adamo peccatum originale contraxerunt. Ergo Deus vult salutem illorum.

QUÆSTIO II.

UTRUM DEUS VELIT MEDIA AD SALUTEM NECESSARIA, ET QUIBUS HOMINIBUS?

Resp. Deus vult media ad salutem necessaria omnibus hominibus, sive in statu innocentiæ, sive in statu naturæ lapsæ.

Prob. 1ª. Deus vult salutem omnium hominum, omnibus præcipit ut salutem sperent, ut ad salutem tendant. Ergo Deus omnibus hominibus vult media ad salutem: alioquin esset insipiens, cùm vellet finem sine mediis; crudelis, cùm præciperet vanam spem; injustus, cùm præciperet impossibile: quod absurdum est.

Prob. 2ª. Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnibus vult media ad salutem.

Prob. 3ª. Inferiùs, ubi *de Gratiâ*, probabitur gratias verè et relativè sufficientes à Deo omnibus hominibus concedi; ergo.

QUÆSTIO III.

QUALI VOLITIONE DEUS VELIT SALUTEM ET MEDIA?

Præmittenda. Volitio Dei potest esse: 1º vel interior et realis, vel exterior et signi. *Interior*, seu sincera, quâ Deus vult sincerè, realiter; *exterior* et *signi*, quâ Deus exteriùs manifestat velle quod reverà non vult:

sic Deus nolebat Isaac immolari, quamvis illud præceperit.

2° Volitio interior est alia absoluta, alia conditionalis. *Absoluta*, quâ Deus vult independenter ab omni conditione; *conditionalis*, quâ vult, sed tantùm positâ tali conditione.

3° Interior et conditionalis est efficax, vel inefficax. *Efficax*, si effectum sortiatur; *inefficax*, si non sortiatur. Quibus positis,

Quæstio duplex est: 1ª de *fine*, 2ª de *mediis*. Porro volitio Dei circa media duo includit: voluntatem instituendi media in genere, voluntatem ea variis hominum speciebus applicandi.

His quæstionibus triplici propositione respondemus:

1° Deus vult media salutis in genere voluntate efficaci, absolutâ et interiore.

2° Deus vult mediorum salutis applicationem 1. infantibus sine baptismate morientibus, voluntate inefficaci, conditionali, sed sincerâ; 2. infidelibus adultis, voluntate efficaci, absolutâ, sincerâ, juxta D. Thomam; 3. item omnibus Christianis.

3° Deus vult salutem prædestinatorum voluntate efficaci, absolutâ, juxta quosdam, voluntate conditionali juxta alios, voluntate sincerâ; reproborum autem, voluntate inefficaci, conditionali, sincerâ tamen.

Iª Ppo. — Deus vult media salutis, in genere, voluntate efficaci, absolutâ et interiore.

Prob. Vult voluntate *efficaci:* Deus enim concessit Adamo in statu innocentiæ gratiam habitualem et gratias actuales sufficientes; hominique lapso concessit redemptionem, reparationem, et omnia media ex illis

donis emanantia. — *Absolutâ:* Deus enim voluit et concessit hæc omnia independenter ab omni conditione. — *Sincerâ:* nam, si interior, seu sincera non fuisset, voluntas Dei ad actum non fuisset redacta.

II[a] Ppo. — Deus vult mediorum salutis applicationem : 1. infantibus sine baptismo morientibus, voluntate inefficaci, conditionali, sed sincerâ ; 2. infidelibus adultis, ex D. Thomâ, voluntate efficaci, absolutâ, sincerâ ; 3. item Christianis omnibus.

Prob.p. part. 1[a]. Infantibus sine baptismate morientibus mediorum salutis applicationem Deus vult voluntate inefficaci, conditionali, sed sincerâ. — Voluntate *inefficaci:* res patet ex hypothesi ; hic enim loquimur de infantibus sine baptismo morientibus ; — *conditionali:* non est enim absoluta, alioquin baptismum reciperent ; sed Deus his infantibus vult baptismum sub illis conditionibus, scilicet, parentes velint, vel administratio non exigat miraculum ; — *sincerâ* tamen : Princeps enim ad utilitatem societatis instituens media generalia, nullum eorum applicationi ponens obicem, censetur velle sincerè bonum eorum etiam quibus inutilia sunt, quamvis non sustulerit obstacula humanâ voluntate, aut legibus generalibus orta. A pari Deus, qui pro salute omnium baptismum instituit, ministros ipsius administrationi præposuit, parentibus mandavit ut saluti filiorum per baptismum invigilarent, censetur velle sincerè hujus sacramenti administrationem, quamvis permittat parentum negligentiam, malam voluntatem, et non tollat per derogationem legibus naturalibus impedimenta ejus administrationi obstantia.

2[a] *p.* Juxta D. Thomam, infidelibus adultis Deus

vult media salutis voluntate efficaci, absolutâ, sincerâ. —Voluntate *efficaci:* Juxta Doctorem Angelicum, quamvis homo non possit viribus suis se præparare ad divinam vocationem, potest tamen auxilio gratiæ à Deo sibi oblatæ peccatum vitare. Cùm autem Deus sit semper paratus ad vocandum et illuminandum, certò infidelis, si non peccet, vocabitur et illuminabitur, vel per hominem, vel per angelum: per hominem, ità disponente Deo res humanas ut id sine miraculo fieri possit; per angelum, illuminante interiùs angelo, quod non est miraculum, sed quid pertinens ad divinam providentiam supernaturalem. Ex quo videre est Deum velle voluntate efficaci infidelibus media salutis. —*Absolutâ:* nam Deus huic concessioni non apponit conditionem boni usûs, cùm mediis prædictis omnibus infidelibus oblatis multi abutuntur; neque conditionem possibilitatis gratiarum concessionis sine miraculo, siquidem, ut diximus, vocatio infidelis fit mediis ad supernaturalem providentiam pertinentibus. — *Sincerâ:* patet.

Diximus: juxta D. Thomam; quidam nempè theologi arbitrantur Deum velle media salutis infidelibus, non voluntate *efficaci*, cùm media ad finem necessaria eis reverà non offerantur; non voluntate *absolutâ*, alioquin fides eis annuntiaretur; sed *conditionali*, id est, si media offerri possent, sine miraculo; voluntate tamen *sincerâ*, ob rationem suprà expositam ubi de infantibus.

3ª *p*. Christianis Deus vult media salutis voluntate efficaci, absolutâ, sincerâ. — Voluntate *efficaci:* Inferiùs, ubi *de Gratiâ*, probabitur Deum omnibus Christianis, etiam induratis, obcæcatis etiamque reprobatis præ-

bere media ad salutem sufficientia; ergo Deus vult Christianis media ad salutem voluntate efficaci. — *Absolutâ:* si voluntas Dei alicui conditioni subjiceretur, vel conditioni boni usûs gratiarum, vel conditioni possibilitatis gratiarum concessionis sine miraculo. Atqui neutrum affirmari potest; neque prius, nam indurati et obcæcati gratiis sibi oblatis quotidiè abutuntur; neque posterius, gratia enim interna, de quâ hìc agitur, semper concedi potest immediatè à Deo absque miraculo. — *Sincerâ:* hoc evidens est.

IIIª Ppo. — Deus vult salutem prædestinatorum voluntate efficaci, voluntate absolutâ, juxta quosdam theologos, conditionali, juxta alios, voluntate sincerâ; reproborum autem, voluntate inefficaci, conditionali, et tamen sincerâ.

Prob. 1ª *p*. Deus vult salutem prædestinatorum voluntate *efficaci*: siquidem salutem consequuntur; — *absolutâ*, juxta quosdam...: dicunt enim alii Deum velle salutem prædestinatorum antecedenter prævisis meritis, alii Deum velle salutem prædestinatorum consequenter prævisis meritis; et sub illo respectu voluntas Dei dicitur absoluta vel conditionalis: agnoscunt autem omnes obtentionem salutis non fieri absque operibus bonis, et sic esse conditionatam (hanc quæstionem paulò infrà tractabimus ubi *de Prædestinatione*); — *sincerâ:* nam efficax est.

2ª *p*. Reproborum autem Deus vult salutem voluntate *inefficaci:* siquidem non salvantur; — *conditionali:* secùs voluntas esset absoluta et salvarentur (conditiones autem appositæ variæ sunt: pro adultis, Deus vult illos salvare, si velint uti mediis propositis; pro

infantibus, si parentes velint, et nón obstent leges naturales);— *sincerâ:* erga adultos, nam salus ipsorum ab ipsis pendet; erga infantes, nam quod diximus suprà de voluntate circa administrationem baptismi dici potest de voluntate circa finem.

ACTUS TERTIUS.

DEUS PRÆDESTINAT ALIOS AD GLORIAM, ALIOS AD POENAM ÆTERNAM.

De duobus ergo disserendum: 1° de *prædestinatione* electorum, seu de prædestinatione propriè dictâ; 2° de prædestinatione reproborum, seu potiùs de *reprobatione.*

§ I. — DE PRÆDESTINATIONE PROPRIÈ DICTA.

Prædestinatio est: *divina et æterna destinatio creaturæ intellectualis ad gloriam, præparatioque mediorum efficacium ad illam.*

Circa prædestinationem errârunt: 1° Fatalistæ, affirmantes vitam futuram hominis esse prædeterminatam quidem, sed non à liberâ Dei voluntate; 2° Pelagiani et Semipelagiani. Equidem admittebant Deum ab æterno præscire quinam obtenturi essent gloriam, ac proindè illis ab æterno gloriam præparâsse. Juxta Pelagianos autem merita propriis viribus hominis comparata causa sunt unica prædestinationis; et, juxta Semipelagianos, initium et præparatio ad bona opera sunt ab homine: contendebant ergo prædicti hæretici in homine omninò esse causam prædestinationis, non autem à Deo. Ab

eis rejiciebatur prædestinatio, qualis in sensu catholico intelligitur, quia libertatem tolleret, hominemque in socordiam et desperationem induceret.

Inter theologos qui prædestinationem admittunt in sensu catholico, affirmant *alii* eam esse absolutam et à meritorum futurorum prævisione prorsùs independentem, ità præcipuè Thomistæ; *alii* eam à meritorum futurorum prævisione pendere, ità Molina, Lessius, Becanus, Tournely, etc.; *alii* absolutam esse prædestinationem ad gratiam efficacem, conditionatam verò prædestinationem ad gloriam, ità Congruistæ.

Disserendum 1° de existentiâ; 2° de proprietatibus prædestinationis.

I. De Existentiâ prædestinationis.

Quær. *Utrùm admittenda sit prædestinationis existentia?*

Resp. Affirmativè.

Prob. 1ª. *Arg. direct.* Res ità est, si Deus quosdam homines ab æterno destinaverit ad gloriam, et illis præparaverit media efficacia; atqui hæc duo certa sunt.

1ª *p.* Quosdam homines destinavit ad gloriam: Siquidem 1° Deus nihil operatur in tempore, quod ab æterno non præordinaverit; alioquin, vel inciperet velle in tempore, vel quid faceret præter intentionem, quod repugnat ipsius perfectioni. Ergo admittenda prædestinatio ad gloriam, cùm multis gloriam æternam sit concessurus. 2° Rom. 8, 29, 30: *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... quos autem prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et*

glorificavit. Ephes. 1, 5: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ.* 3° Conc. Trid. sess. 6, c. 12, docet : *Nemo quoque, quamdiù in hàc mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet ut certò statuat se omninò esse in numero prædestinatorum... Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit.*

2ª *p.* Deus præparat gratias efficaces : Nam Deus, utpotè summè sapiens, non potest velle finem quin velit media. Ergo cùm multos voluntate æternà ad gloriam destinaverit, eis media ad hunc finem efficacia ab æterno præparavit.

Prob. 2ª. *Argum. indirect.* Si rejicienda esset prædestinatio, aut 1. quia destrueret hominis libertatem; aut 2. quia hominem in socordiam et desperationem induceret; siquidem, posito prædestinationis dogmate, cuique sic argumentari liceret : « vel sum prædestinatus, vel non ; si prædestinatus, quidquid egero, salvabor ; si contrà, quidquid egero, reprobus ero. » Atqui neutrum dici potest,

1° Prædestinatio non destruit hominis libertatem : Opinio de prædestinatione conditionatà est libera, ut infrà dicemus ; porro, in illà opinione, prædestinatio non lædit libertatem. Prædestinatus enim non operatur bonum quia à Deo prædestinatur, sed Deus eum prædestinat quia eum tali modo acturum prævidet. Deus actus ejus prævidet quia ab æterno futuri sunt. Hic est ergo ordo rationis inter facta prædicta : actus ab æterno futuri, præscientia meritorum, prædestina-

tio. Undè prædestinatio est ratione posterior præscientiæ, præscientia posterior actibus liberis hominis; proindè prædestinatio libertatem destruere non potest.

In opinione theologorum, qui affirmant absolutam esse prædestinationem ad gloriam et ad gratiam efficacem, conceduntur à Deo gratiæ, quæ naturâ suâ juxta Thomistas, congruitate suâ juxta Congruistas, effectum suum infallibiliter consequuntur. Porro in his opinionibus non facilè concipitur quomodò voluntas mota per gratias hujusmodi, libertatem conservet. Difficultatem conciliant tamen harum sententiarum defensores, affirmando gratias istius modi infallibiliter quidem, non verò necessariò, effectum suum producere. Undè remanet voluntati libertas. De hoc fusiùs ubi *de Gratiâ*.

2° Prædestinatio non inducit in socordiam et desperationem : Siquidem falsum est dilemma objectum. 1. Si verum esset, sic argumentari liceret de rebus temporalibus : « vel Deus prædeterminavit successum, vel non; si prædeterminaverit, quidquid egero scopum attingam; si contrà, quidquid egero ad finem non perveniam. » Porro nemo sanus non videt hujus sophismatis falsitatem in rebus temporalibus; à pari falsum est in rebus spiritualibus. 2. Falsum est in opinione prædestinationis conditionatæ; nam prædestinatio ab operibus pendet. Falsum est etiam in aliis opinionibus, cùm Deus, hominem ad gloriam prædestinando, simul determinet media ad gloriam absolutè necessaria. In quâlibet ergo opinione bona opera sunt ad salutem requisita.

II. De Proprietatibus prædestinationis.

Hic tractandum 1. de gratuitate, 2. de certitudine prædestinationis.

I. De Gratuitate.

Quær. *Utrùm prædestinatio sit gratuita, an verò pendeat ex meritis?*

Prædestinatio considerari potest *in se* et *quoàd effectus*.

I. Si quæstio sit de prædestinationis *effectibus*,

Resp. Tres effectus producit prædestinatio, vocationem, justificationem, glorificationem : constat ex Apostolo, Rom. 8, 30: *Quos autem prædestinavit* (Deus), *hos et* vocavit: *et quos vocavit, hos et* justificavit: *quos autem justificavit, illos et* glorificavit. Porro,

1º *Vocatio,* seu prima gratia excitans, quâ ad fidem vel ad contritionem excitamur, est gratuita.

Prob. Si homo primam gratiam mereri posset, eam mereretur absque gratiâ. Porro hoc est impossibile: nam 1. vires liberi arbitrii nullam habent proportionem ad gratiam; 2. sub titulo *de Merito*, probabimus hominem non posse mereri absque gratiâ.

2º *Justificatio*, seu gratia sanctificans, est gratuita, id est non datur ex meritis de condigno præcedentibus.

Prob. Si homo posset gratiam sanctificantem mereri, eam mereretur absque gratiâ sanctificante; porro hoc impossibile est. Siquidem 1. sub titulo *de Merito* ostendemus opus non esse meritorium de condigno, quin procedat ab homine justificato. 2. Concil. Trid. sess. 6, c. 8: *Gratis autem justificari ideò dicamur, quia*

nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jàm non ex operibus: alioquin, ut... Apostolus inquit, gratia jàm non est gratia.

3° *Gloria,* seu vita æterna datur nobis ex præcedentibus meritis de condigno.

Prob. 1ª. Matth. 5, 12: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Rom. 2, 6: *Qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Matth. 25, 34 et seq.: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitâstis me: in carcere eram, et venistis ad me.* II Tim. 4, 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex...* Undè vita æterna est *merces, corona* bonis operibus debita.

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 6, can. 32: *Si quis dixerit... ipsum* (hominem) *justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem..., anathema sit.*

De his fusiùs sub titulo *de Gratiâ* et *Merito.*

II. Si prædestinatio consideretur *in se,*

Resp. Quædam sunt certa, quædam controvertuntur.

Certa. Ab omnibus admittuntur propositiones sequentes:

1º Sicut Deus in tempore confert primam excitantem gratiam sine ullo nostro merito, sic ab æterno decrevit illius donum absque ullo nostro merito.

2º Sicut in tempore confert gratiam sanctificantem sine meritis, sic ab æterno decrevit illius donum sine meritis.

3º Sicut in tempore confert gloriam propter merita, sic decrevit ab æterno illius donum propter merita.

Controvertitur autem utrùm vita æterna, quæ datur ex merito, prædestinetur ex merito.

De hâc quæstione, ut suprà indicavimus, triplex est opinio.

Prima affirmat electionem ad gloriam pendere ex prævisis meritis.—Sic explicatur : Deus vult salutem omnium ; omnibus dat media ad salutem sufficientia, modo tamen inæquali. Ab æterno futurum est ut quidam gratiis sibi oblatis benè utantur, quidam autem abutantur. Undè gratiæ fiunt, pro primis efficaces, pro secundis inefficaces. Deus præscientiâ suâ ab æterno omnia videns, prædestinat ad gloriam eos qui gratiâ sibi oblatâ benè sunt usuri, ad pœnam qui eâ sunt abusuri.

Secunda affirmat electionem ad gloriam esse gratuitam, quamvis detur vita æterna ex meritis.—Sic conciliantur in hâc opinione propositiones apparenter incompatibiles : Deus prædestinat quosdam ad gloriam independenter ab ipsorum meritis ; vult ut electi perveniant ad gloriam per merita ; præparat ad meritum gratias *de se efficaces*, id est, infallibiliter, vi intrinsecâ, conducentes ad meritum ; in decreto suo videt merita futura ; vult ab æterno ea remunerare per gloriam,

quod exsequitur in tempore. Undè actus Dei sic apparent ordinati : in tempore concedit gloriam ob merita ; decreto æterno determinaverat remunerationem meriti per gloriam ; sed primò elegerat ad gloriam gratuitò.

Tertia à Congruistis prolata, sic explicatur : Deus omnibus concedit gratias sufficientes quarum prævidet usum futurum pro circumstantiis. Speciali dilectione et misericordià, non verò attentis meritis, quosdam seligit ; hos statuit ponere in circumstantiis in quibus scit certè eos gratià benè usuros et in eà perseveraturos ; eis tandem salutem decernit ob merita in eo statu obtinenda per gratias ex congruitate cum circumstantiis efficaces. Alios autem statuit relinquere in circumstantiis in quibus prævidet eos non benè usuros gratià ; et sic eos negativè reprobat. Undè prædestinatio ad gratiam est gratuita, ad gloriam verò est ex meritis.

Cùm verò gratiæ ad quas electus gratuitò prædestinatur sint ex congruitate cum circumstantiis efficaces, et infallibiliter ad gloriam perducant, hæc ultima opinio, quoàd quæstionem præsentem, non essentialiter à secundà differt.

Observ. Expositio rationum quibus nituntur opiniones prædictæ innumeras et intricatissimas discussiones exigeret, à quibus abstinemus, quia ex his nihil certum erui potest. De his opinionibus sufficiant observationes sequentes :

1ª. Cuique licet quam voluerit amplecti, cùm nihil de eà quæstione statuerit Ecclesia, et quæstio sit inter theologos acerrimè controversa.

2ª. Opiniones de prædestinatione gratuità, vel ad gloriam, vel ad gratias efficaces, 1. minùs favent liber-

tati quàm opinio contraria. Etenim, juxta opinionem de prædestinatione absolutâ ad gloriam, homo ante prævisionem actuum liberorum prædestinatur etiam ad gratias efficaces vi quarum certò et infallibiliter bonum operetur. Item in opinione Congruistarum, homo primò et absolutè prædestinatur ad gratias congruenter efficaces, quarum ope certò et infallibiliter meretur vitam æternam. Porro, posito gratiæ influxu infallibili, difficiliùs concipitur bonorum operum libertas. Dùm econtrà evidenter salva remanet in opinione contrariâ, ex quâ actus liber anterioritate rationis præcedit præscientiam quæ ipsa prior est decreto divino. 2. Minùs facilè conciliantur cum voluntate Dei circa salutem reproborum. Deus enim iis quos non prædestinat omittit dare gratias de se efficaces sine quibus homo certò non salvabitur. In contrariâ verò opinione Deus cuique concedit gratias sufficientes, quas homo efficaces reddere potest consensu suo, et ope quarum certò salvabitur si velit. Undè in primâ opinione reprobatio Deo, in secundâ abusui libertatis tribuenda videretur. 3. Magis favent accusationi acceptiônis personarum in Deo. In opinione enim prædestinationis gratuitæ, Deus solâ voluntate, et absque ullo hominum merito, alios destinat ad gloriam, alios negativè reprobat, omittendo eorum prædestinationem. In contrariâ autem opinione differentia sortis hominum ab eorum meritis pendet. 4. Minùs videntur congruæ sapientiæ et bonitati divinæ: ex modò dictis patet. 5. Minùs facilè et clarè respondent difficultatibus prædestinationem impugnantibus, ut suprà vidimus in probatione indirectâ hujus dogmatis. De opinione affirmante prædestinationem ex

meritis sic scribit S. Franciscus Salesius ad P. Lessium, S. J.: *Sententia illa antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativâ auctoritate nobilissima, de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sanè mihi gratissima fuit, qui nimirùm eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, et amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi.*

II. De Certitudine.

Quær. *Utrùm prædestinatio sit certa, an incerta?*

Resp. Quæstio potest esse vel de certitudine *objectivâ*, vel de *subjectivâ*.

Si 1, id est, si quæratur utrùm prædestinatus sit certò gloriam obtenturus, *resp.* affirmativè. Nam impossibile est ut decretum Dei absolutum effectu suo fraudetur, secùs voluntas divina non esset omnipotens: ergo prædestinatio certa est in se, seu objectivè, si sit Dei decretum absolutum. Porro res ità est, sive decretum prædestinationis sit absolutum, ut evidens est; sive sit ex prævisis meritis, siquidem decretum conditionatum fit absolutum verificatâ conditione.

Si 2, id est, si quæratur utrùm homo certò cognoscere possit se esse prædestinatum; *resp.* cum Concil. Trid. sess. 6, cap. 12: *...nisi ex speciali revelatione, sciri non potest quos Deus sibi elegerit.*

§ II.—DE REPROBATIONE.

Reprobatio adæquatè sumpta est: *non electio ad gloriam et pœnæ æternæ præparatio.*

Undè duplex reprobatio: *negativa*, non electio ad gloriam; *positiva*, præparatio pœnæ æternæ.

Uno ore reprobationem admittunt Christiani, sed diversim de ipsius motivis sentiunt.

Damnatos à Deo antecedenter, etiam positivè, reprobari admiserunt : 1. Gotescalcus, IX° sæculo ; 2. Calvinus et ejus discipuli, inter quos quidam, Antelapsarii, cum Calvino extendunt hanc opinionem ad statum innocentiæ, imò ad Angelos ; alii, Postlapsarii, eam limitant ad homines lapsos.

Catholici autem admittunt omnes positivam reprobationem determinari ex peccatorum prævisione, sed dissentiunt in assignando motivo reprobationis negativæ. Alii affirmant eam esse peccatorum prævisioni antecedentem, alii subsequentem.

Hìc disserendum, ut suprà, 1° de existentiâ, 2° de proprietatibus reprobationis.

I. De Existentiâ reprobationis.

Quær. *Utrùm admittenda sit reprobationis existentia?*

Resp. Affirmativè.

Prob. 1ª. Deus in tempore quosdam homines ad pœnam æternam damnat ; ergo ab æterno eos reprobat, cùm nihil, ut suprà diximus, operetur in tempore, quod non decreverit ab æterno.

Prob. 2ª. Matth. 25, 41 : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus.* Deus decreto æterno angelos reprobavit : ergo à pari homines damnatos.

II. De Proprietatibus reprobationis.

Duo quæruntur : 1° Utrùm voluntate antecedente, an subsequente prævisioni peccatorum Deus damnatos

reprobet; 2° si ex prævisis peccatis, utrùm ex originali, an ex actuali?

Quæst. 1ª. *Utrùm voluntate antecedente, an ex prævisis peccatis, Deus damnatos reprobet?*

Resp. Quæstio potest esse, vel de reprobatione *positivâ*, vel de *negativâ*.

I. Si de reprobatione *positivâ*: Deus reprobat ex prævisis peccatis.

Prob. 1ª. Si Deus antecedenter reprobaret, innocentes puniret supplicio omnium gravissimo: porro hoc repugnat ejus bonitati et justitiæ. — Deus vult salutem omnium; porro nullo modo vellet reproborum salutem, si antecedenter eos reprobaret.

Prob. 2ª. Si Deus antecedenter et positivè damnatos reprobaret, perditio reproborum esset à Deo, Deus odio haberet reprobos ante omnem culpam; porro hæc admitti non possunt. Sic enim habet Scriptura: Ose. 13, 9: *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.* Sap. 11, 25: *Nihil odisti eorum quæ fecisti.*

II. Si quæstio sit de reprobatione *negativâ:* duplex est opinio.

Prima admittit reprobationem negativam *antecedentem* peccatorum prævisioni. — Hæc sententia sequitur necessariò ex admissione prædestinationis antecedentis. Nam Deus quosdam ad gloriam aut gratiam congruenter efficacem gratis prædestinando, hoc ipso alios omittit, et negativè reprobat. Undè,

Pr. 1ª. Deus antecedenter prædestinat, ergo antecedenter negativè reprobat.

Pr. 2ª. Admittenda est reprobatio negativa antece-

dens, si Deus possit reprobare negativè antecedenter, si velit. Porro 1. potest: siquidem reprobatio negativa est omissio hominis in decreto prædestinationis; atqui Deus potest omittere quos vult in decreto prædestinationis, nam non tenetur hominem liberè lapsum reparare. 2. Vult: Hæc enim habet Scriptura, Rom. 9, 11: *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali..., non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est; Jacob dilexi, Esaü autem odio habui... Ergo cujus vult miseretur et quem vult indurat.* Undè sic: Ex D. Paulo, agendi ratio Dei erga Esaü et Jacob est typus prædestinationis et reprobationis; ergo, sicut antequàm duo fratres aliquid boni egissent aut mali, Deus Jacob dilexit et Esaü odio habuit, ità electos prædestinat, reprobatque damnatos antecedenter et abstrahendo à peccatis et meritis.

Secunda affirmat reprobationem etiam negativam à prævisis demeritis pendére. — Hæc opinio affinis est opinioni de prædestinatione ex prævisis meritis. Cùm enim juxta illam opinionem ad gloriam prædestinentur omnes quorum prævidentur merita, à gloriâ consequenter excluduntur ii tantùm quorum prævidentur demerita. Undè,

Pr. 1ª. Rejicienda est prædestinatio antecedens, ergo et reprobatio negativa antecedens.

Pr. 2ª. Si Deus negativè et antecedenter reprobaret damnatos, sincerè non vellet eorum salutem, cùm nollet eos eripere damnationi quam in Adamo incurrerunt.

Pr. 3ª. In statu præsenti, qui negativè reprobatur,

eo ipso positivè reprobatur; ergo, si reprobatio negativa sit antecedens, etiam antecedens est reprobatio positiva, quod ab adversariis rejicitur.

Insolutâ quæstione de causis prædestinationis, solvi non potest quæstio de causis reprobationis negativæ. Ab eâ dirimendâ abstinemus, et in opinionem quæ affirmat reprobationem etiam negativam ex prævisis demeritis inclinamur, propter rationes suprà expositas ubi *de Prædestinatione.*

Quæst. 2a. *A quibus peccatis pendeat reprobatio, an ex originali, an ex actualibus?*

Resp. Vel agitur de infantibus sine baptismate morientibus, vel de infidelibus adultis, vel de christianis.

1° Si de infantibus : reprobatio pendet à solo peccato originali; infantes enim nullum peccatum actuale commiserunt.

2° Si de infidelibus adultis: pendet à peccatis tùm originali, tùm actualibus; nam infideles adulti sunt rei peccatis tùm originali, tùm actualibus.

3° Si de christianis: pendet à peccatis actualibus tantùm. Baptizatis enim absolutè remissum fuit peccatum originale, dicente Apostolo, Rom. 8, 1 : *Nihil... nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.*

II.

DE ACTIBUS PROVIDENTIÆ

IN TEMPORE.

Tribus actibus manifestatur in tempore Providentia divina :

1° Deus Adamum constituit in statu innocentiæ ;
2° . . . permittit lapsum hominis ;
3° . . . reparat hominem per Christum.

ACTUS PRIMUS.

DEUS CONSTITUIT ADAMUM IN STATU INNOCENTIÆ.

Sequenti propositione comprendi possunt hujus actûs elementa constitutiva : *Deus constituit Adamum in statu innocentiæ, ità ut ex ejus fidelitate vel infidelitate pendeat ipsi primò, posteritati subsequenter, hujus statûs conservatio aut amissio.*

Propositioni nostræ adversantur 1° Pelagiani, negantes primos homines in ortu suo donis supernaturalibus fuisse exornatos; affirmantes hominem talem nunc nasci qualis ab initio conditus fuerat, sine peccato et gratiâ. 2° Pelagianis assentiunt Sociniani, Arminiani, Rationalistæ.

Hanc admittunt omnes catholici; dissentiunt verò theologi in ejus explicatione.

Nobis ergo probanda et explicanda propositio.

PROBATIO.

Tribus propositionibus æquivalet thesis posita : 1° Deus Adamum constituit in statu innocentiæ ; 2° hujus statûs conservatio, aut amissio pendet Adamo ex fidelitate aut infidelitate ; 3° item ejus posteritati.

I.

DEUS CONSTITUIT ADAMUM IN STATU INNOCENTIÆ.

Status innocentiæ, qualis protoparentibus fuit concessus, includit elementa duplicis generis, *essentialia et* accidentalia ; — *essentialia:* finem supernaturalem ; media supernaturalia, gratiam scilicet habitualem et gratias actuales ;— *accidentalia* duplicis etiam speciei : *intrinseca:* in intelligentiâ , scientiam perfectam , et immunitatem ab errore ; in voluntate, rectitudinem ; in corpore, immunitatem à morbo et morte ; *extrinseca:* dominium in res inferiores, habitatio in Paradiso.

Ergo Deus Adamum constituit in statu innocentiæ, si elementa prædicta protoparentibus concesserit : porro hoc certum est.

§ 1. — Deus Adamo concessit elementa essentialia statûs innocentiæ.

I. Finem supernaturalem:

Prob. 1ª. Ex fide et doctrinâ Ecclesiæ , gratia sanctificans est medium ad visionem intuitivam ; ergo Deus Adamum destinavit ad visionem intuitivam, si illum constituerit in gratiâ sanctificante. Porro Adamum in statu justitiæ , seu gratiæ sanctificantis, à Deo fuisse constitutum, ex propositione sequenti constabit.

Prob. 2ª. Homo post reparationem destinatur ad finem supernaturalem, ut probavimus initio hujus *Expositionis;* ergo ad finem supernaturalem destinabatur ante lapsum: nam reparatio non mutavit finem, sed tantùm homini reddidit jus ad finem peccato amissum.

Prob. 3ª. Ex dicendis infrà constabit infantes sine baptismate morientes fuisse jure ad visionem intuitivam in Adamo privatos; ergo infantes erant ad visionem intuitivam in Adamo destinati; à fortiori Adamus ipse.

Prob. 4ª. Propositio nostra constat ex consensu theologorum, fide et doctrinâ Ecclesiæ.

II. Media supernaturalia, scilicet:

1° Gratiam habitualem:

Prob. 1ª. *Arg. theol.* Ex dicendis, ubi de lapsu protoparentis, constabit Adamum per primum peccatum amisisse sibi et suæ posteritati jus ad vitam æternam; ergo ante peccatum jus illud habebat, ac proindè gratiam sanctificantem cui inhæret.

Prob. 2ª. *Script.* Eph. 4, 23: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis.* Apostolus fideles excitat ut renoventur in gratiâ et sanctitate in quâ homo creatus est; ergo gratia sanctificans Adamo concessa fuit: constat enim tùm verborum significatione, tùm interpretatione theologorum, his verbis *justitiâ et sanctitate veritatis* gratiam sanctificantem designari.

Prob. 3ª. *Tradit.* Patres plurimi explicantes primi Geneseos capitis versum 26: *Faciamus hominem ad*

imaginem et similitudinem nostram, distinguunt inter imaginem et similitudinem, illam in donis naturalibus reponentes, hanc in donis supernaturalibus. Ex illis verbis concludunt hominem in ortu suo fuisse gratiâ et justitiâ exornatum. (Vid. Bellarm. *De Grat. prim. hom.* cap. 2.)

Prob. 4ª. *Auctorit. Eccl.* Hæc habet Concilium Arausicanum : *Natura humana, etiamsi in integritate in quâ est condita, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Undè, cùm sine gratiâ Dei salutem non posset custodire quam accepit, quomodò, sine Dei gratiâ, poterit reparare quod perdidit?* Undè sic: Textus citatus thesim nostram probat, si hæc verba : *integritas in quâ natura humana est condita*, designent gratiam sanctificantem : atqui res ità est. Nam in ultimâ parte textûs Patres supponunt hominem in statu actuali per gratiam actualem recuperare quod perdidit; porro per gratiam actualem recuperat gratiam sanctificantem.

Conc. Trid. sess. 5, decret. 1 : *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse... anathema sit.*

2° Gratiam actualem :

Prob. 1ª. Si gratiam actualem Deus non concessisset, homo non debuisset orare ad impetrandam bonam voluntatem actualem, neque de eâ obtentâ gratias agere; quod piis auribus repugnat.

Prob. 2ª. Act. 17, 28: *In ipso... vivimus, et movemur,*

et sumus. Rom. 11, 36 : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Hæc verba sunt generalia ; ergo, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali, in statu innocentiæ, sicut in statu naturæ lapsæ reparatæ, homo habet in Deo et ex Deo non solùm esse, vitam, sed etiam motum. Proindè, præter gratiam habitualem per quam habet facultatem actuum supernaturalium, accepit gratiam actualem ad motum, seu ad actus supernaturales.

Prob. 3ª. Ex consensu omnium theologorum, qui admittunt concessionem gratiæ in statu innocentiæ, quamvis de naturâ ejus motuum dissentiant, ut videbitur infrà.

Prob. 4ª. Ex Concilio Arausicano suprà citato, natura humana in integritate in quâ condita est, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servare potuit.

§ III. — Deus Adamo concessit elementa accidentalia statûs innocentiæ,

I. Intrinseca, scilicet :

1º *Intelligentiæ :* — 1. Scientiam perfectam :

Prob. 1ª. Deus hominem creavit perfectum secundum corpus, à fortiori secundum animam ; ergo illi concessit scientiam perfectam, si scientia perfecta fuerit ad perfectionem absolutam et relativam animæ protoparentis necessaria. Porro necessaria erat 1. ad perfectionem absolutam. Nam perfectior est anima, si actu cognoscat omnia à se cognoscibilia, quàm si habeat solummodò capacitatem scientiam acquirendi, aut scientiam acquisitam sed limitatam. 2. Erat necessaria ad perfectionem relativam : Adam enim futurus erat non

solùm Pater generis humani per generationem, sed etiam Doctor per scientiam; porro perfectus doctor esse non poterat, quin perfectam scientiam possideret.

Prob. 2ª. Eccli. 17, 5 et 8 : *Disciplina intellectûs replevit illos* (protoparentes). *Creavit illis scientiam spiritûs, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent; et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Undè sic : nulla est ratio verba hæc à sensu obvio detorquendi; porro in sensu naturali intellecta indicant scientiam perfectam in ordine tùm naturali, tùm supernaturali protoparentibus inditam fuisse.

2. Immunitatem ab errore :

Prob. 1ª. In statu innocentiæ, nullus fuisset defectus in corpore, à fortiori in animâ; ergo nullus error, siquidem error est intellectûs malum et defectus.

Prob. 2ª. Si Adam errare potuisset, vel de rebus perfectè notis, vel de rebus absolutè ignotis, vel de rebus imperfectè notis. Atqui neutrum dici potest. 1. Non de rebus perfectè notis : nam, si intellectus rem perfectè cognoscat, ejus attributa illorumque relationes perfectè cognoscit, nec proindè potest falsam inter ea relationem concipere, seu, quod idem est, errare. 2. Non de rebus absolutè ignotis : nam intellectus non potest de re penitùs ignotâ judicium ferre, ac proindè errare. 3. Non de rebus imperfectè notis : etenim, cùm res supponatur inevidens, homo potuisset à judicio abstinere; judicans ergo, errorem, ac proindè malum libe-

rè voluisset, quod opponitur rectitudini voluntatis ipsi à Deo concessæ, ut probabitur infrà.

Prob. 3ª. Propositionem nostram affirmant Doctores, specialiter S. Augustinus l. 3 *de liber. arbit.* c. 12, et S. Thomas, *Sum. theol.* 1 p. q. 104, art. 4.

2º *Voluntati :* — Rectitudinem :

Prob. 1ª. Eccle. 7, 30 : *Solummodò hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum.*

Prob. 2ª. De propositione nostrâ consentiunt omnes theologi.

Prob. 3ª. Juxta Concil. Trident. Adam constitutus fuerat *in justitiâ et sanctitate veritatis.* Hoc verbo *justitia* theologi intelligunt voluntatis rectitudinem.

3º *Corpori :* — 1. Immunitatem à morte :

Prob. 1ª. Sap. 1, 13: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Genes. 2, 17 : *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sap. 2, 23 : *Deus creavit hominem inexterminabilem,* et v. 24 : *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Rom. 5, 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Ibid. 6, 23 : *Stipendia enim peccati, mors.* Ibid. 8, 10 : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.....* Undè : Deus mortem non fecit ; hominem creavit inexterminabilem ; mors ex peccato et invidiâ diaboli, ac proindè ante peccatum non existebat. Ergo Deus creavit hominem immortalem.

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 5, decret. de pec. orig. 1 : *Si quis non confitetur primum hominem Adam,* cùm

mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus... anathema sit. Undè : mors ex peccato, ante peccatum ergo immortalis erat Adam.

2. Immunitatem à morbo :

Prob. 1ª. Deus Adamum immortalitate donans, media simul instituerat quibus à morte præservaretur; porro eadem media à morbo probabilissimè præservare poterant.

Prob. 2ª. S. Augustinus, de civ. Dei, l. 4, c. 26, sic loquitur de statu Adami, ante lapsum : *Nullus intrinsecùs morbus, nullus ictus inferebatur extrinsecùs; summa erat in carne sanitas.*

Prob. 3ª. Propositionem admittunt theologi catholici.

II. Extrinseca, scilicet :

1° Dominium in animalia et omnes alias inferiores creaturas :

Prob. 1ª. Divina providentia inferiora per superiora gubernat; ergo animalia et res inferiores homini subjici debent, ac proindè homo in ea dominium habet, si homo sit eis superior; porro superior est homo. Siquidem 1. homo est imago Dei. 2. Animalia et creaturæ inferiores sunt instrumenta homini concessa ad utilitatem corporis et animæ; corporis, siquidem inserviunt immediatè, vel mediatè ejus conservationi et perfectioni; animæ, siquidem sunt quasi speculum in quo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta

conspiciuntur. Si autem animalia et res inferiores sunt instrumenta ad utilitatem hominis ordinata, eo ipso sunt ipsi inferiores.

Prob. 2ª. Gen. 1, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terrâ.* Ibid. v. 28 : *Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini; et replete terram, et subjicite eam; et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.*

2° Habitationem in Paradiso :

Prob. Gen. 2, 8 : *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio : in quo posuit hominem quem formaverat.*

Ex dictis sequitur veritas primæ propositionis positæ, scilicet : Deus constituit Adam in statu innocentiæ.

II.

HUJUS STATUS CONSERVATIO AUT AMISSIO PENDET ADAMO EX FIDELITATE AUT INFIDELITATE.

Prob. Vera est propositio, si Adamus fidelis bona statûs innocentiæ conservare, si prævaricator ea perdere debuisset. Atqui,

1° Fidelis ea bona conservâsset : 1. Deus ea concesserat absque temporis limitatione ; ergo ea perpetuò conservâsset Adam, si præcepto Dei obediens fuisset. 2. Si fidelis fuisset Adam, gratiam sanctificantem, ac proindè statûs innocentiæ bona non amisisset, siquidem ista bona ex gratiâ pendebant, ut infrà probabitur.

2° Adam prævaricator bona statùs innocentiæ amissurus erat : 1. Adam peccans amittebat gratiam sanctificantem, ac proindè bona statûs innocentiæ, ob rationem modò expositam. 2. Genes. 2, 17 : *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ergo per peccatum immortalitatem amissurus erat ; ergo, pari ratione et ex interpretatione theologorum, alia statûs innocentiæ bona. 3. Juxta Concilium Trid., Adam, prævaricatione suâ, bona statûs innocentiæ reverà amisit, ut videbimus, ubi *de Peccato originali.*

III.

STATUS INNOCENTIÆ CONSERVATIO AUT AMISSIO PENDET POSTERITATI EX ADAMI FIDELITATE AUT INFIDELITATE.

Prob. 1ª. Conservatio aut amissio statûs innocentiæ Adamo pendebat ex ipsius fidelitate aut infidelitate; ergo ex eisdem conditionibus ipsius posteritati, si præceptum Dei, non Adamum tantùm, sed etiam in ejus personâ posteros spectaverit. Atqui res ità est, siquidem juxta Apostolum, Rom. 5, 12 : *in quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* Ergo.

Prob. 2ª. Juxta doctrinam Concil. Trid. infrà exponendam, per peccatum Adami ejus posteritas bona statûs innocentiæ amisit. Undè sic : Peccante Adamo statum innocentiæ amisit genus humanum, ergo non peccante, illum conservâsset. Ergo ex fidelitate vel infidelitate protoparentis pendebat posteritati conservatio vel amissio statûs innocentiæ.

EXPLICATIO.

Ad explicationem statûs innocentiæ, duo sunt necessaria : 1° prædictarum propositionum partes singillatim evolvere, 2° illarum ostendere relationes.

I.

SINGILLATIM EVOLVUNTUR PARTES PROPOSITIONUM.

Circa PRIMAM PROPOSITIONEM, dicendum de elementis *essentialibus*, — *accidentalibus*, intrinsecis, extrinsecis.

§ I. — De elementis essentialibus.

Nihil de *fine*, seu de destinatione Adami ad visionem intuitivam.

De Mediis, seu 1° de gratiâ habituali,

Tria sunt explicanda : 1° causa, 2° tempus, 3° modus.

I. Causa.— *Quænam sit causa justificationis Adami?* Hic solùm agitur de causâ *meritoriâ*, an scilicet Adam justificatus fuerit ex meritis Christi?

Resp. Scotistæ affirmant, negant Thomistæ.

Juxta Scotistas primus finis Incarnationis non est, relativè ad hominem, redemptio, sed justificatio et glorificatio. Undè Verbum incarnatum fuisset, et per Verbum incarnatum homo justificatus et glorificatus, etiam non posito peccato. Proindè justificatio et aliæ gratiæ homini etiam innocenti concessæ ex Christi meritis originem habent.

Juxta Thomistas verò redemptio hominis est finis primarius Incarnationis. Undè, Adamo non peccante,

Verbum non fuisset incarnatum. Proindè Christus meruit gratiam homini lapso tantùm, non verò homini innocenti.

Ut probabilior, communiter admittitur opinio Thomistarum. De hâc quæstione fusiùs ubi *de Incarnatione.*

II. Tempus. — *Quonam tempore concessa fuerit Adamo gratia habitualis?*

Resp. Certum est eam fuisse ante peccatum concessam; nam Concil. Trid. ante citatum docet Adamum peccando amisisse sanctitatem et justitiam in quâ constitutus fuerat.

Controvertitur autem utrùm concessa fuerit in primo creationis instanti, an post creationem. — Duplex est opinio.

Quidam (inter quos Alens., Magister sentent., S. Bonav., Scot., etc.) affirmant gratiam Adamo fuisse datam post creationem. Sententiam probant 1° auctoritate SS. Cypriani, Augustini, qui eam admittere videntur; 2° convenientiâ: oportuit opus naturæ distingui ab opere gratiæ, et ideò hominem primò creari, deindè justificari. Homo adultus non justificatur sine propriis actibus; improbabile est autem Adamum in primo creationis instanti posuisse omnes actus ad justificationem necessarios.

Juxta alios (D. Thomam, Suarez, etc.), quorum communior est opinio, gratiâ sanctificante donatus est Adam eodem instanti quo fuit creatus.

Pr. 1ª. *Script.* Gen. 1, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Undè sic : Homo à primo creationis instanti factus est ad similitudinem

Dei, ergo in statu gratiæ; nam, juxta Patres, hæc verba designant gratiam, ut suprà diximus.

Eccle. 7, 30: *Inveni quòd fecerit Deus hominem rectum;* ergo *justum*, seu in gratià habituali, si in Scripturà *recti* dicantur justi. Porro hoc constat ex istis Cantic. 1, 3: *Recti diligunt te;* Ps. 7, 11: *Salvos facit rectos corde;* Ps. 32, 1: *Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.* Eph. 4, 23: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis;* undè sic: induere Christum qui creatus est in justitià et sanctitate, est renovatio hominis; ergo Adam creatus est in justitià et sanctitate.

Pr. 2ª. Omnia entia primitùs creavit Deus in statu perfecto, id est, actu disposito ad finem; ergo à pari perfectum creavit hominem, ipsi proindè ab instante creationis concessit gratiam habitualem, cùm sit ad finem supernaturalem necessaria.—Si Adam perseveràsset, infantes in gratià sanctificante nati fuissent; ergo à fortiori Adam in gratià creatus est.

Pr. 3ª. Si rejicienda foret opinio, maximè ob rationes prioris; porro hujus opinionis rationes falsæ sunt. Prima: nam opera naturæ et gratiæ distingui possunt, quamvis dona naturæ et gratiæ simul ab instanti creationis concessa fuissent. Secunda: nam 1. dici posset Adamum justificatum fuisse absque proprio actu prævio; 2. infrà videbimus Adamum in primo instanti creationis potuisse elicere omnes actus ad justificationem necessarios.

Probabilior videtur secunda opinio.

III. Modus. — *Utrùm Adam justificatus fuerit abs-*

que præviis actibus propriis, an sub conditione actuum cum auxilio gratiæ productorum?

Resp. Duplex opinio.

Juxta *primam*, Adam justificatus fuit absque præviis actibus. Nam in primo creationis instanti, homo habet à Deo omnes animæ modificationes; proindè actus liber, seu proprius, est ipsi impossibilis.

Juxta *secundam*, quam tenet D. Thomas (1 p. q. 95, art. 1 ad 5), homo fuit justificatus sub conditione actuum præviorum.

Pr. 1ª. In primo creationis instanti Adam fuit sub omni respectu, ac proindè sub respectu justificationis perfectus. Ergo sub conditione actuum præviorum justificatus est, si modus iste sit priori perfectior: atqui res ità est: nam 1. actus est perfectior habitu; 2. perfectius est quod est per se eo quod est per aliud; perfectior proindè justificatio quæ fit sub conditione actuum à justificato productorum, quàm justificatio quæ tantùm fit per habitus in animam infusos.

Pr. 2ª. Si rejiciendus esset hic modus justificationis, maximè quia impossibile fuisset Adamo elicere à primo creationis instanti actus ad justificationem præparatorios; atqui hoc falsum est. Siquidem Adam in statu adulto creatus est; porro Deus potest per revelationem ità subitò adulti intellectum illuminare, ut statim per fidem assentiat veritati propositæ, et voluntas moveatur in objectum sic creditum.

2º De gratià actuali.

Quær. *Qualis fuerit gratia actualis Adamo concessa?*

Resp. Certum est eam fuisse adjuvantem. Nam 1. à theologis communissimè, specialiter à SS. Augustino

et Thomâ, admittitur ad actum hominis, in ordine sive naturali, sive supernaturali, requiri, præter capacitatem, auxilium Dei speciale. 2. Ex Concilio Arausicano, *natura humana, etiamsi in integritate in quâ est condita permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret.*

Controvertitur autem utrùm fuerit excitans ad vitanda peccata et ad benè operandum.

Quidam affirmant cum D. Thomâ; quia *manifestum est*, inquit Angelicus Doctor, *omnes motus, tùm naturales, tùm spirituales, reduci in primum movens, quod est Deus; et ideò quantumcumquè natura aliqua corporalis aut spiritualis ponatur perfecta, non potest in actum suum procedere, nisi movetur à Deo* (1).

Alii negant, nixi auctoritate S. Augustini, qui in lib. de bono persever. c. 7, quærens : an possit homo non peccare, id est perseverare in bono, resistere omni tentationi, servare omnia mandata, etc., respondet: *Non est hoc in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequàm caderet.* Eamdem doctrinam multotiès in operibus exprimit (2).

Quo posito, probabilior videtur *secunda* opinio. Nam, cùm auctoritates in utramque partem sint æquales, determinanda est quæstio ex ratione theologicâ. Porrò sic ratiocinari licet : In Adamo mens subjiciebatur Deo, caro spiritui; ergo ad peccatum non incitabatur Adam per concupiscentiam carnalem; non indigebat proindè gratiâ excitante ad vitandum malum. Insuper posside-

(1) *Sum.* 1-2, q. 109, art. 1.
(2) Vid. Bellarmin. *de grat. primi hom.* lib. unic. c. 4.

bat gratiam sanctificantem et omnes virtutes infusas, fidem, spem, charitatem, etc. ; ergo ad bonum incitabatur, quin necessaria fuerit gratia specialis excitans, cùm virtus sit inclinatio ad bonum.

§ III. — De elementis accidentalibus.

I. *Intrinsecis*, scilicet :

1° De dotibus Intelligentiæ, — seu *de cognitionibus Adami.*

Scientia Adami erat perfecta. Ergo Adam possidebat cognitiones : *naturales*, seu, cujus objectum erat ordinis naturalis ; *supernaturales*, id est, cujus objectum erat ordinis supernaturalis.

Utriusque speciei scientiæ determinanda sunt 1° objectum, 2° medium acquisitionis, 3° proprietates.

I. De Scientiâ naturali.

I. Objectum. — *Quænam objecta ordinis naturalis cognoscebat Adam?*

Resp. In genere, omnia, et sola, quæ sunt ab humano intellectu perfectissimo naturaliter scibilia.

Prob. Adam cognoscebat omnia... : Alioquin perfecta non fuisset ejus intelligentia, et aliorum hominum intelligentias doctrinâ suâ perficere non potuisset; sola... : hìc enim solùm agitur de cognitionibus naturalibus.

Corollaria. Ex hoc principio sequentia deducuntur corollaria, circa scientiam Adami de rebus naturalibus, de intelligentiis creatis ; de Deo ; de illorum entium relationibus.

1° De rebus naturalibus. — Adam notitiam habuit omnium rerum corporearum, quibusdam exceptis. — Habuit notitiam omnium... : Nam 1. intellectus huma-

nus omnes res corporeas, saltem quodam modo cognoscere potest. 2. Ex Genesi, Adam omnibus animantibus apta et propria imposuit nomina, quod supponit perfectam eorum notitiam; porro, si animantia perfectè noverit, à pari alia objecta naturalis ordinis. — Quibusdam exceptis : Ex D. Thomâ (1 p. q. 94, art. 3) non cognoscebat : 1. omnia cujusque speciei individua; hæc enim cognitio excedere videtur capacitatem hominis naturalem, et ad perfectionem intellectualem non est absolutè necessaria; 2. futura ex libero arbitrio pendentia; siquidem homo nullum medium naturalem possidet liberas aliorum determinationes cognoscendi. Probabiliter juxta Suarez (1), non cognoscebat futura ex multis naturalibus causis pendentia, nam illorum cognitio capacitatem humanam excedere videtur.

2° De Intelligentiis creatis. — De homine : cognoscebat animæ suæ et aliorum existentiam ac proprietates; cogitationes suas certò; aliorum verò, conjectatoriè tantùm, per signa et effectus.—Certò animæ suæ et aliorum existentiam ac proprietates : siquidem hæc notitia evidenter humanum intellectum perficit, et facto constat eam non excedere ejus capacitatem. — Certò cogitationes suas : hoc evidens est.—Conjectatoriè tantùm cogitationes aliorum. Saltem conjectatoriè; hâc enim facultate donatur homo in statu actuali, à fortiori Adam;—non certò : nullum est enim homini medium quo ad hanc notitiam pervenire possit.

De Angelis : Certum est Adam eorum possibilitatem cognovisse; probabiliùs eorum existentiam ignorâsse.

(1) Suarez, *de opere sex dier.* l. 3, c. 9, n. 14.

—Certum est Adam cognovisse Angelorum possibilitatem : Nam intellectus humanus, etiam in statu præsenti, evidenter judicat à Deo posse creari intelligentias puras, et animâ humanâ perfectiores. — Probabiliùs eorum existentiam naturaliter ignoravisse : Si cognovisset, vel à priori, vel à posteriori ; atqui neutrum dici potest. Non prius : nam Angelorum creatio erat conveniens quidem, non verò necessaria ; porro facta Dei libera à priori cognosci non possunt. Non posterius : nullum enim assignari potest factum ex quo certò possit naturaliter deduci angelorum existentia. — Dixi : *naturaliter*, Adamus nempè Angelorum existentiam cognoscebat per revelationem, ut videbitur infrà.

3° De Deo. — Adam Dei existentiam et perfectiones intellectui humano naturaliter scibiles cognoscebat. — Res ità est, si 1. Deus scientiâ naturali cognosci possit; si 2. perfectio scientiæ notitiam Dei requirat. Atqui hæc duo sunt certa. 1° Deus scientiâ naturali potest cognosci : Facto constat rationem humanam, sufficienter evolutam, posse principiis sibi divinitùs inditis Dei existentiam probare, ejusque naturam intra quosdam limites evolvere. 2° Cognitio Dei ad scientiæ perfectionem requiritur. Nàm 1. scientiæ objectum est veritas, veritas autem est Ens quatenùs per intelligentiam visibile. Atqui Deus est Ens infinitum, proindè veritas infinita ; ergo ejus cognitio ad scientiam perfectam requiritur. 2. Perfecta alicujus entis scientia ejus relationum notitiam includit, relationum notitia supponit aut producit entium relativorum cognitionem. Porro inter creaturam et Deum existunt relationes causalitatis, cùm Deus sit creaturæ causa ; similitudinis, cùm

Deus impresserit in creaturis ratione privatis quasi vestigia, et in rationalibus imaginem perfectionum suarum. Ergo protoparens creaturas perfectè cognoscens non poterat ignorare existentiam et perfectiones Dei.

4° De relationibus inter entia prædicta.—Adam cognovit relationes creaturarum mutuas, relationes inter Deum et creaturas intellectui humano scibiles. Nam, ut diximus, entia perfectè cognosci nequeunt, quin et simul eorum relationes cognoscantur.

Ergo Adam perfectè cognovit legem naturalem, seu obligationes et jura ex relationibus naturalibus hominis cum Deo et entibus creatis manantia.

II. Medium acquisitionis.— *Quibus mediis Adam cognitiones prædictas acquisiverit?*

Resp. Inter media acquisitionis Adamo et homini actuali concessa, sunt similitudines et differentiæ. Earum expositione pendet responsio quæstioni positæ.

Ad constituendam scientiam tria absolutè requiruntur: principia, conclusiones, inter ea ordo naturalis. Porro, in statu actuali, propositiones primariæ intellectui communicantur concursu rationis absolutæ et inductivæ, experientiâ externâ et internâ, testimonio hominum; consequentiæ facultate logicâ ex principiis deducuntur; ordo inter propositiones prædictas facultate methodicâ instituitur. Hæc omnia constant ex dictis, ubi *de Locis theologicis*.

Adamus autem, exceptis 1. experientiâ, cui supplebat cognitio à Deo infusa, 2. testimonio hominum, cui supplebat testimonium divinum, seu actio Dei in mentem testimonio humano æquivalens, eadem media possidebat.

Exceptis 1. experientià : etenim, statim post creationem, Adam perfectam de rebus experimentalibus scientiam habuit ; porro nondùm experiri potuerat. Experientiæ supplebat cognitio immediatè à Deo infusa : nam, sublatis experientià et testimonio hominum, alia causa scientiæ experimentalis assignari non potest. 2. Testimonio hominum : siquidem præter Adamum nullus existebat homo. Testimonio humano supplebat testimonium divinum, seu actio immediata Dei : nam in statu præsenti, intelligentiæ humanæ evolutio absque sociali educatione, juxta omnes , perdifficilis ; juxta multos, absolutè impossibilis. Ergo, cùm educatio socialis esset protoparenti impossibilis, necessarium fuit ut Deus ejus defectui suppleret Adamum educando aut per verbum, aut per actionem immediatam eosdem effectus producentem.

Exceptis experientià et testimonio, eadem media erant Adamo : nam cognitiones Adami ejusdem erant speciei ac cognitiones humanæ in statu actuali. Eadem ergo ad earum acquisitionem media admittenda sunt, nisi probetur circumstantias aliud medium requisivisse; quod probari non potest.

III. Proprietates. — *Quænam fuerint proprietates scientiæ Adami?*

Resp. Scientia Adami erat clara, certa, nullo modo retrogradis, quodam modo progressiva.—Clara, certa, nullo modo retrogradis, seu inamissibilis : scientia Adami erat perfecta ; porro, cæteris paribus, scientia eo est perfectior, quo clarior, certior et oblivioni minùs obnoxia. — Quodammodò progressiva : scientia Adami potuisset crescere quoàd numerum individuorum quæ

cognovisset, quoàd modum sciendi; nam scientiam experimentalem potuisset acquirere eorum quæ primò scientiâ infusâ tantùm cognovisset.

II. De Scientiâ supernaturali.

I. Objectum. — *Quænam objecta ordinis supernaturalis cognoverit Adam?*

Resp. Quædam certa; quædam probabilissima.

Certè cognovit: omnia ordinis supernaturalis objecta ad finem supernaturalem consequendum necessaria.

Proindè cognovit 1° hominem ad finem supernaturalem, seu ad visionem intuitivam à Deo fuisse destinatum. Nam, si ignoravisset se ad finem supernaturalem fuisse destinatum, ad eum actibus liberis tendere non potuisset. 2° Cognovit media ad hunc finem obtinendum necessaria. Finis enim obtineri non potest, nisi mediis ad hoc institutis; ergo Adam eis uti, ac proindè ea cognoscere debebat. 3° Cognovit Deum quatenùs est auctor finis et mediorum supernaturalium. A Deo enim solo finis et media possunt esse obligatoria; proindè, si Adam ignoràsset Deum quatenùs est auctor finis et mediorum, potuisset legitimè non tendere ad finem per media, quod supponi non potest.

Probabilissimè cognovit 1° mysterium SS. Trinitatis. Nam ex modò dicendis cognovit Incarnationem, ergo Filium et Patrem, et probabilissimè Spiritum Sanctum. Hæc est aliundè communissima Patrum et theologorum sententia.

2° Cognovit mysterium Incarnationis, non quatenùs ad redemptionem hominis, sed quatenùs ad consummationem gratiæ et gloriæ est ordinatum.

Et 1. cognovit mysterium Incarnationis: hæc enim

verba protulit Adam videns Evam post ejus formationem : Gen. 2, 23, 24 : *Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne meâ... Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ.* De quibus ait Paulus ad Eph. 5, 32 : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Undè sic : Verba ab Adamo prolata erant symbolum unionis Christi cum Ecclesiâ, proindè symbolum Incarnationis per quam unitus est Christus cum Ecclesiâ. Quo posito, improbabilissimum est Adamum ignorâsse sensum verborum suorum, probabilissimum ergo cognovisse mysterium Incarnationis.

2. Non illud cognovit quatenùs ordinatum ad redemptionem : alioquin lapsum suum cognovisset, quod dici non potest ; nam positâ rectitudine, potiùs fidelitatem suam quàm infidelitatem prævidere debebat.

3. Illud autem cognovit quatenùs ad consummationem gratiæ et gloriæ ordinatum : — Ad cujus propositionis intelligentiam notandum : Per Incarnationem non solùm redimitur homo, sed gratia primitùs ipsi collata consummatur per unionem personalem divinitatis cum humanitate, per unionem moralem fidelium cum Christo, capite Ecclesiæ. Consummatur etiam gloria humanitatis, cùm, ex unione personali et morali humanitatis cum divinitate, in vitâ præsenti et futurâ exurgat immensa humanitati gloria. Consummatur tandem in tempore et æternitate gloria Dei ex cultu infinito Trinitati per Verbum incarnatum oblato. Quo posito, — Ex unâ parte Incarnatio fuit Adamo cognita, ex alterâ parte incognita, scilicet quatenùs ordinata ad redemptionem ; ergo probabilissimum est Incarnationem Adamo fuisse

cognitam quatenùs ordinatam ad gratiæ et gloriæ consummationem. Aliùndè eà cognitione Adamus fiebat perfectior et Christus honoratior; ergo congruissima, ac proindè probabilissima est hujus scientiæ concessio.

3° Cognovit relationes suas cum angelis, ac proindè ipsorum existentiam, multorum perseverantiam et aliorum lapsum. Cognovit... relationes: ut possit à malorum tentationibus cavere et bonorum auxiliis uti; proindè existentiam, perseverantiam et lapsum, ut evidens est.

II. Medium acquisitionis. — *Quibus mediis cognitiones supernaturales acquisiverit Adam?*

Resp. Quadruplex supponi potest medium acquisitionis: visio intuitiva, scientia infusa, ratio, revelatio. —Porro cognitiones supernaturales acquisivit Adam,

1° Non visione intuitivâ habituali aut transitoriâ: — Non habituali: nam ex visione intuitivâ oritur amor beatificus habitualis; ex amore verò beatifico sequitur impeccabilitas, cùm incompossibile sit peccatum cum amore Dei summo appretiativè et intensivè. Porro Adamum non fuisse impeccabilem facto constat. — Non transitoriâ: propositio ista communiter à theologis concluditur ex hoc textu I Tim. 6, 16: *Qui* (Deus)... *lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest...*

2° Non scientiâ infusâ: Etenim Adam fidem habuit. Porro incompossibilis est scientia infusa cum fide; fides quippè supponit quamdam obscuritatem in veritatibus credendis, veritates autem cognitæ per scientiam infusam sunt claræ et evidentes.

3° Non ratione: Nam veritates supernaturales supe-

rant humanum intellectum. Aliundè veritates ratione tantùm acquisitæ scientiâ cognoscuntur, non fide.

4° Proindè revelatione sive immediatâ, sive mediatâ per Angelos, sive internâ, sive externâ.—Revelatione: res ità est si 1. Adam fidem habuerit, si 2. fides revelationem supponat. Atqui 1. Adam habuit fidem: Habac. 2, 4: *Justus... in fide suâ vivet.* Hæbr. 11, 1: *Est... fides sperandarum substantia rerum.* Ibid. 6: *Sine fide... impossibile est placere Deo.* Undè sic: Adam erat justus, placebat Deo, sperabat; ergo ex textibus suprà positis, fidem habebat. 2. Fides revelationem supponit: ex fide Ecclesiæ et theologorum consensu constat; fides enim est adhæsio veritati ob testimonium Dei.—Revelatione mediatâ aut immediatâ, externâ vel internâ: ad fidem sufficit alterutra revelatio. Si quoddam foret dubium, maximè de revelatione internâ; porro fides haberi potest ex revelatione internâ, et reverà Prophetæ habuerunt fidem de veritatibus internâ inspiratione sibi communicatis.

III. Proprietates.— *Quænam fuerint proprietates fidei protoparentis?*

Resp. Quoàd proprietates essentiales, fides Adami eadem erat quæ fides in statu actuali. Quoàd accidentales, sub respectu objectivo, erat minùs perfecta; sub respectu subjectivo, magis perfecta.

Quoàd proprietates essentiales (eas exposuimus ubi *de Dogmate in genere*) eadem erat fides Adami, si eadem fidei fuerit essentia; porro res ità est. Actus enim fidei, in quocumque statu et subjecto existat, est firma mentis adhæsio veritatibus à Deo revelatis propter veracitatem divinam.

Quoàd proprietates accidentales: sub respectu objectivo, erat minùs perfecta. Nam veritatibus primitùs Adamo revelatis, plures addidit Deus per revelationes subsequentes, specialiter per revelationem christianam. Sub respectu subjectivo, erat magìs perfecta: Adam enim habuit ab initio fidem explicitam, firmam ac robustam, et errore immunem. Nostra verò fides ex implicitâ fit imperfectè explicita, plerùmque est debilis, et sæpiùs errore permixta.

2° De dotibus Voluntatis.

Quærendum 1° in quo sita fuerit rectitudo, seu justitia originalis Adamo concessa; specialiter utrùm impossibilitatem peccandi incluserit; 2° quonam tempore fuerit concessa?

Quæst. 1ª. *In quo sita fuerit rectitudo, seu justitia originalis Adamo concessa; specialiter, utrùm impossibilitatem peccandi incluserit?*

Ad 1am quæst. partem,

Resp. Duplex rectitudo: negativa, positiva. *Negativa* consistebat in immunitate à peccato; *positiva* consistebat in habitibus realiter et facto subjicientibus Deo voluntatem in ordine tùm naturali tùm supernaturali; subjicientibus voluntati partes animæ inferiores et corpus.

Prob. In prædictis consistebat rectitudo, seu justitia originalis, si 1° prædicta privilegia ad constituendam rectitudinem requirantur; si 2° eorum collectione rectitudo compleatur; si 3° Adamus iis donatus fuerit. Porro tria hæc sunt certa.

1° Prædicta privilegia ad constituendam rectitudinem

requiruntur : 1. Requiritur rectitudo negativa : siquidem homo vitiatus peccato opponitur legi seu regulæ, proindè rectus esse non potest. 2. Requiruntur habitus subjicientes...: Siquidem rectitudo exigit subjectionem realem et perpetuam, ipsaque subjectio habitus. — Exigit subjectionem realem: ad rectitudinem enim regulanda sunt inferiora à superioribus; proindè voluntas à Deo, facultates inferiores et corpus à facultatibus animæ superioribus. Exigit subjectionem perpetuam: hominis enim rectitudo in Scripturis designata perpetua est. Ipsa subjectio exigit habitus: nedùm enim ista rectitudo realis et perpetua sit homini naturalis, econtrà ejus naturæ sibi derelictæ contradicit, ut diximus; exigit ergo causas reales et perpetuas à naturà distinctas, ejus inclinationes malas frænantes; porro istæ causæ sunt habitus boni subjicientes....

2° Horum collectione rectitudo completur: Ordini essentiali, seu rectitudini necessariò conformis est voluntas divina. Proindè recta est voluntas humana, si divinæ subjiciatur voluntati; recta sunt facultates animæ inferiores et corpus, si humanæ voluntati juxta divinam ordinatæ subjiciantur.

3° Iis donatus est Adam : 1. Creatus est immunis à peccato. Aliter dicendum foret Deum esse auctorem peccati.

2. Donatus est habitibus subjicientibus Deo voluntatem in ordine naturali et supernaturali : Facultates animæ superiores subjiciuntur Deo, in ordine supernaturali per virtutes supernaturales, in ordine naturali per virtutes morales; porro Adam aliqualiter habuit omnes utriusque ordinis virtutes.

Habuit virtutes supernaturales infusas, fidem, spem, charitatem, etc.: semper enim cum gratiâ sanctificante infunduntur; porro gratiâ sanctificante donatus est Adam;

Virtutes morales: Deus ab initio Adamum ornavit omnibus scientiis naturalibus; ergo à fortiori virtutibus moralibus, cùm virtutes morales magìs perficiant hominem quàm scientiæ naturales. Eccli. 17, 1 et 2: *Deus creavit de terrâ hominem...., et secundum se vestivit illum virtute;* quæ verba, cùm sint indeterminata, de omnibus virtutibus intelligenda sunt.

Dicimus: *aliqualiter*. Nam, ex D. Thomâ (1 p. q. 95, art. 3), Adam possidebat: — quoàd habitum et actum, virtutes, quæ nullam continent imperfectionem, v. g. charitatem; quæ continent imperfectionem, sed compatibilem cum statu innocentiæ, v. g. fidem, spem; — quoàd habitum solum, virtutes supponentes imperfectionem cum statu innocentiæ incompatibilem: id est, vi rectitudinis sibi infusæ, Adamus erat dispositus ad actus virtutum, positis imperfectionibus quas isti actus supponunt; sic pœnitentiam quæ peccatum, misericordiam quæ miserias humanas supponit.

3. Donatus est habitibus subjicientibus voluntati inferiores animæ partes et corpus: Res ità est, si Adam fuerit à concupiscentiâ immunis. Atqui hoc constat ex Scripturâ. Gen. 2, 25: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus: et non erubescebant.* Posteà verò (c. 3, 7), de illis post peccatum dicitur: *Et aperti sunt oculi amborum: cùmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs et fecerunt sibi perizomata.* Et infrà, cùm Adam ad Deum dixisset, v. 10: *Timui eò*

quòd nudus essem, respondit Deus, v. 11 : *Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Undè sic : Protoparentes ante peccatum de nuditate non erubescebant ; post peccatum verò et ob peccatum erubuerunt ; ergo ante peccatum non experiebantur inordinatos motus quos post peccatum experti sunt. Ipsis ergo Deus concessit immunitatem à motibus concupiscentiæ inordinatis.—Rom. 7, 15 et 17 : *Non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum illud facio...jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Sic de illo textu Concil. Trid. sess. 5, decret. de peccat. orig. 5: *Hanc concupiscentiam, quam aliquandò Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquàm intellexisse peccatum appellari, quod verè et propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* Undè, concupiscentia ex peccato ; ergo ante peccatum non existebat.

Ad 2^{am} quæst. part. scilicet : *Utrùm rectitudo incluserit impossibilitatem peccandi?*

Resp. Rectitudo voluntatis includebat impossibilitatem peccandi impulsu concupiscentiæ, non verò alio modo. Ex his affirmationibus, prima concluditur ex propositione præcedenti, secunda ex peccato Adami.

Quæst. 2^{a}. *Quonam tempore rectitudo voluntatis fuerit Adamo concessa?*

Resp. Certum est, et ab omnibus admissum, actu ipso creationis homini concessam fuissé rectitudinem, saltem naturalem.

Controvertitur autem utrùm rectitudo concessa fuerit

supernaturalis. Quidam affirmant; quia gratia habitualis statim à creatione fuit concessa. Alii negant; homo enim creatus in ordine et rectitudine naturali, posteà tantùm, sed ante lapsum, elevatus est ad ordinem supernaturalem. — Probabilior est prima opinio, ut suprà dictum est.

3° De dotibus Corporis.

Quær. *Quibus mediis à morbo et morte præservatus fuisset Adam?*

Resp. Morbi et mortis duplex potest esse causa, extrinseca, intrinseca.

A causis *extrinsecis* præservabatur Adam, juxta quosdam, per donum habituale corporeum aut spirituale. Juxta alios, præservabatur per scientiam et sapientiam, quibus perfectiùs quàm nos cognoscebat et vitabat causas morbi extrinsecas; simulque per divinam providentiam quâ amovebantur causæ morbi extrinsecæ mediis prædictis inevitabiles.—Possibilis est utraque opinio; secunda tamen naturæ rerum magis accommodata, ac proindè probabilior videtur.

A causis *intrinsecis* præservabatur, juxta D. Thomam (1 p. q. 97, art. 1), virtute quâdam animæ infusâ, quæ corpus ab omni corruptione præservabat. Juxta alios, ad hunc finem concurrebant: bona corporis constitutio; conditiones extrinsecæ, v. g. cibus, potus, aer, etc. sanitati corporis accommodatissimæ; esus fructûs ligni vitæ cui inhærebat efficacia vigorem vitalem renovandi, ut designat nomen ipsi à Deo inditum. — Probabilior videtur secunda opinio, utpotè naturæ rerum et Scripturæ magis accommodata.

II. De elementis extrinsecis.

1° De dominio in animalia et res inferiores.

Quær. *Quale fuerit Adæ dominium in animalia et res inferiores; et quomodò eo usus fuerit?*

Ad 1am quæst. part. *Resp.* Adam habebat dominium tùm juris, tùm facti.—Habebat dominium juris, id est habebat jus in ea dominandi. Hoc constat rationibus ad probandam thesim suprà expositis.—Habebat dominium facti, id est, realiter in ea dominabatur. Ex Gen. 1, 31 : *Vidit... Deus cuncta quæ fecerat: et erant valdè bona.* Porro, si bona, ergo ordinata ; si ordinata, ergo inferiora superioribus, ac proindè animalia et res inferiores homini facto subjiciebantur, seu, quod idem est, homo in ea dominium facti possidebat.

Ad 2am *Resp.* Homo dominabatur in animalia, quasi imperio ; et in res inferiores, eis facilè utendo. —Dominabatur in animalia quasi imperio : non quidem imperio propriè dicto, quod in animalia, propter defectum rationis, exerceri non potest ; sed imperio impropriè dicto, Deo eorum instinctum habitualiter ad obsequendum homini disponente.—Dominabatur in res inferiores, eis facilè utendo : impossibile est enim alio modo in istas res dominari, cùm motu spontaneo instinctuque priventur.

2° De habitatione in Paradiso.

Quær. *Utrùm ea quæ in Scripturâ narrantur de Paradiso intelligenda sint sensu litterali, an metaphorico; et in hypothesi sensûs litteralis, utrùm Paradisus fuerit locus specialis?*

Ad 1^{am} quæst. partem,

Resp. Quidam, inter quos Origenes, arbitrantur dicta de Paradiso intelligenda esse in sensu metaphorico.

Juxta autem sententiam catholicam intelligenda sunt in sensu litterali.

Prob. 1ª. *Script.* 1. Paradisus à Moyse describitur tanquàm locus habitationis protoparentis, qui loco corporeo indigebat. 2. Ex Genesi, Paradisus erat locus flumine irrigatus, in quatuor partes divisus, in quo Deus ex humo produxerat omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave; in quo homo positus fuerat, ut eum custodiret, coleret; à quo posteà protoparentes expulsi sunt postquàm Eva, contra Dei prohibitionem, fructum arboris scientiæ boni et mali viderit, tanquàm pulchrum et delectabile concupierit, comederit, et viro edendum dederit; à cujus ingressu, post lapsum, prohibebantur homines per Cherubim, etc. Quibus positis, interpretatio metaphorica textui violentiam infert; ergo litteralis sola tenenda est.

Prob. 2ª. Si verba Scripturæ de Paradiso metaphoricè interpretanda essent, maximè quia repugnaret divinis attributis Paradisi terrestris præparatio; porro nedùm repugnet, econtrà convenientissima fuit. Paradisus enim Scripturâ descriptus, erat locus vitæ conservationi et felicitati temporali hominis aptissimus.

Ad 2^{am} scilicet: *Utrùm Paradisus fuerit locus specialis?*

Resp. Paradisus fuit locus specialis. Adam extra Paradisum creatus, fuit posteà in Paradisum translatus, post peccatum à Paradiso expulsus et ab ejus ingressu prohibitus: hæc omnia supponunt Paradisum fuisse locum specialem.

Explicatâ *primâ* propositione (de privilegiis statûs innocentiæ Adamo concessis), explicandæ sunt SECUNDA et TERTIA de conditionibus conservationis aut amissionis statûs innocentiæ. — De his quatuor quæstiones sequentes :

Quæst. 1ª. *Utrùm Adam in primâ tentatione fidelis, deindè in gratiâ sanctificante, ac consequenter in statu innocentiæ confirmari debuisset?*

Resp. Quidam respondent affirmativè.

Communior tamen et probabilior est opinio negativa. Homo in gratiâ confirmari potest duplici tantùm causâ, scilicet visione intuitivâ, et auxilio speciali. Porro quamvis Adam vicisset primam tentationem, ipsi tamen non fuisset statìm concessa visio intuitiva. Aliundè nullâ ratione probari potest auxilium speciale ipsi concedendum fore.

Quæst. 2ª. *Utrùm in hypothesi prædictâ, Adæ posteri in statu innocentiæ nati ac confirmati fuissent?*

Resp. Si Adam in primâ tentatione fidelis perstitisset, ejus posteri nati fuissent cum privilegiis statûs innocentiæ, exclusis tamen donis Adamo personalibus; in hoc verò statu confirmati non fuissent.

Prob. Nati fuissent cum privilegiis...: Nam 1. ex omnium consensu, statûs innocentiæ bona omni generi humano in Adami personâ concessa fuerant. 2. Adamo peccante, natura humana statûs innocentiæ dona amisit, ergo econtrà, Adamo non peccante, omnes in statu innocentiæ nati fuissent.— Exclusis donis Adamo personalibus : siquidem soli Adamo, ob rationes speciales, concessa erant. Sic ipsis infusa non fuisset scientia perfecta quam Deus concesserat Adamo tanquam posteri-

tatis Doctori. — Confirmati non fuissent : ob rationes superiùs expositas.

Quæst. 3ª. *Utrùm Adam peccans post primam tentationem amittere debuerit sibi et posteris privilegia statûs innocentiæ?*

Resp. Si Adam, post primam tentationem, violâsset præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni et mali, amisisset sibi et posteris statum innocentiæ. Nam præceptum et ejus sanctio erant perpetua. Deus enim dixerat Adamo, quatenùs capiti generis humani, Gen. 2, 17 : *De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.*

Si autem Adam mortaliter peccâsset contra aliud præceptum, amisisset statûs innocentiæ privilegia sibi tantùm non verò posteris.—Amisisset sibi : nam 1. juxta D. Thomam, cujus sententia inferiùs exponenda est, privilegia statûs innocentiæ à gratiâ pendebant ; ergo per peccatum mortale cum gratiâ fuissent amissa. 2. Per peccatum mortale, Adam factus fuisset reus æternæ mortis, proindè pœnæ, doloris ; ergo quædam et, ob paritatem rationis, omnia privilegia statûs innocentiæ amisisset. — Non amisisset pro posteris : nullum enim aliud præceptum impositum fuit protoparenti tanquàm capiti totius naturæ humanæ.

Quæst. 4ª. *Utrùm Eva, aut Adæ posteri peccatum personale committentes, sibi et posteris amisissent privilegia statûs innocentiæ?*

Resp. Si, Adamo non peccante, Eva, aut Adæ posteri individualiter peccavissent, amisissent sibi, non verò posteris privilegia statûs innocentiæ, juxta probabilio-

rem opinionem.—Amisissent sibi : ob rationes prædictas.—Non posteris : Nam 1. nullo modo probari potest alium, præter Adamum constitutum fuisse caput generis humani. 2. Ex hypothesi contrariâ sequeretur filios portare iniquitates omnium avorum suorum, quod falsum est. Juxta Apostolum, Rom. 5, 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.*

Utrùm autem status innocentiæ per peccata personalia amissus recuperari potuisset, incertum est.

II.

PARTIUM OSTENDUNTUR RELATIONES.

Quær. *Quænam existant relationes inter elementa statûs innocentiæ?*

Resp. Elementa statûs innocentiæ 1º ad invicem coordinantur, 2º naturalia à supernaturalibus quoàd existentiam pendent.

1º Ad invicem coordinantur :

Finis supernaturalis exigit ens supernaturale, quod in homine creatur *gratiâ sanctificante*.—Ens supernaturale vires supernaturales exigit, quæ homini per *gratias actuales* conceduntur. — Ens supernaturale viribus supernaturalibus præditum exigit facultates supernaturales quibus exercere possit actus ad finem necessarios. Ideò cum gratiâ sanctificante infunduntur *fides*, quâ cognoscit veritates supernaturales ; *spes*, *charitas*, et aliæ *virtutes supernaturales infusæ* quibus vult et operatur bonum supernaturale.

Cùm autem ens naturale sit entis supernaturalis instrumentum, perfectio naturalis congruit perfectioni

supernaturali donis præcedentibus completæ et per peccatum non vitiatæ. Agenti namque perfecto congruit instrumentum perfectum.—Perficiuntur verò sub respectu naturali : intellectus, *scientiâ perfectâ ;* voluntas, *virtutibus moralibus* Adamo supernaturaliter infusis ; corpus, animæ instrumentum, per dona indebita, *immunitatem à morbo, morte et concupiscentiâ ;* natura, corporis instrumentum, per *subjectionem animalium et utilitatem ex rebus inferioribus in Paradiso terrestri perceptam.*

Explicatâ coordinatione mediorum ad finem à quibus pendet perfectio supernaturalis et naturalis, explicanda nunc coordinatio tentationis ad perfectionem. Porro, cùm perfectio actibus propriis acquisita sit excellentior perfectione modo merè passivo obtentâ, congruentissimum fuit conservationem perfectionis primitùs concessæ à merito hominis seu à probatione pendere.

2° Naturalia à supernaturalibus, quoàd existentiam pendent.

Elementa supernaturalia ea sunt, quæ ad finem supernaturalem necessariò et directè ordinantur. Elementa naturalia comprehendunt privilegia naturæ indebita, quæ supernaturaliter concedi possunt personæ ad finem supernaturalem etiam non destinatæ.

Prob. 1° Ex suprà dictis, dona naturalia ad supernaturalia coordinantur ; ergo, amissis supernaturalibus, congruum est ut et naturalia amittantur. 2° Homo dona supernaturalia perdere non potest, quin Deo rebellet ; porro æquum est ut contra animam Deo rebellatam insurgant pars inferior, corpus, natura. 3° Homo peccando reus est pœnâ ; quâ necessariò, partim saltem,

donis naturalibus privatur. 4° Adam ejusque posteri privati sunt privilegiis naturæ integræ, in pœnam peccati protoparentis ; ergo.

ACTUS SECUNDUS.

DEUS PERMITTIT LAPSUM HOMINIS.

Doctrina catholica de lapsu hominis sequentibus propositionibus comprehendi potest : 1° Peccaverunt protoparentes ; indè amiserunt sibi privilegia statûs innocentiæ ; 2° Peccatum Adami fuit posteris transfusum, exceptis Christo et B. V. Mariâ ; indè posteri amiserunt privilegia statûs innocentiæ.

Priori propositioni adversantur Rationalistæ, qui negant statum innocentiæ, ac proindè lapsum primi hominis.

Posteriori : 1° qui peccatum originale negant absolutè : Pelagiani, affirmantes peccatum protoparentum iis tantùm, non verò posteris nisi fortè exemplo nocuisse ; Albigenses anno 1278, Anabaptistæ anno 1540, Sociniani et Ariminienses, qui renovârunt errorem Pelagianorum ; omnes omnium temporum increduli ; 2° qui negant infantes ortos ex parentibus justis contrahere peccatum originale : Calvinus, Zuinglius ; 3° qui notionem peccati originalis adulterant, affirmando, v. g. illud consistere in solo reatu pœnæ, in solâ concupiscentiâ, etc.

Peccati originalis existentiam, universalitatem, naturam, quales ab Ecclesiâ intelliguntur, admittunt catholici. Dissentiunt tamen de quæstionibus accidenta-

libus ad peccati originalis naturam et transmissionem pertinentibus.

Nobis ergo probanda et explicanda propositio.

PROBATIO.

I.

PECCAVERUNT PROTOPARENTES ; — INDÈ AMISERUNT SIBI PRIVILEGIA STATUS INNOCENTIÆ.

§ I. — Peccaverunt protoparentes.

Prob. 1ª. *Script.* Gen. 2, 16 et 17 : *Præcepitque* (Deus) *ei* (Adæ) *dicens : Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ibid. 3, 6 : *Et tulit* (mulier) *de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit.*

Rom. 5, 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.* Ex his textibus patet protoparentes peccavisse.

Prob. 2ª. Hæc est Ecclesiæ fides.

Prob. 3ª. Concil. Trid. sess. 5, can. 1 : *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideò mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deindè habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse ; anathema sit.*

§ II. — Indè amiserunt sibi privilegia statûs innocentiæ,

I. Essentialia, scilicet :

1° Gratiam sanctificantem :

Prob. 1ª. Ex doctrinâ Ecclesiæ, per peccatum mortale amittitur gratia sanctificans; eam proindè perdidit Adam per peccatum suum, si hoc peccatum fuerit grave : porro ejus gravitas ex infrà dicendis constabit.

Prob. 2ª. Ecclesia credit Adamum per peccatum suum gratiam sanctificantem amisisse.

Prob. 3ª. Ex Concilio Tridentino suprà citato constat Adamum per peccatum suum *sanctitatem, et justitiam, in quâ constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei.*

2° Finem supernaturalem, seu jus ad visionem intuitivam :

Prob. Adam per peccatum suum gratiam sanctificantem amisit ; proindè jus ad visionem intuitivam, cùm ex doctrinâ et fide Ecclesiæ, jure ad visionem intuitivam priventur qui gratiam sanctificantem non possident.

3° Jus ad gratias actuales :

Prob. Adam amisit per peccatum jus ad finem, seu ad visionem intuitivam ; ergo amisit jus ad media, seu ad gratias.

II. Accidentalia :

Prob. gener. 1ª. Ex dictis, ubi de relationibus elementorum statûs innocentiæ, ab essentialibus pendent accidentalia ; ergo, amissis prioribus, amitti posteriora necesse fuit.

2ª. Per peccatum originale Adami posteritas amisit privilegia statûs innocentiæ. Ergo à pari et à fortiori protoparens debebat illa amittere, si peccatum originale sit ipsius Adæ peccatum, gravius in protoparente quàm in posteris; porro rem ità esse ex dicendis constabit.

3ª. Concil. Trid. docet in canone citato *totum Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.*

Prob. special.— Protoparentes amiserunt privilegia accidentalia,

I. Intrinseca, scilicet:

1º Intelligentiæ:

Diminuta est scientia naturalis: Siquidem per peccatum aptitudo ad scientiam attenuata est intrinsecè, extrinsecè. Intrinsecè, quia post peccatum aggravata est anima per corpus; extrinsecè, quia homo ad laborem corporeum damnatus, ad terrena necessariò inclinatus, ad spiritualia difficiliùs assurgere poterat.

Amissa fuit cognitio supernaturalis: Nam, ex infrà dicendis, protoparentes in actu peccati fidem amiserunt.

Amiserunt privilegium non errandi: Nam 1. amiserunt fidem, ergo erraverunt. 2. Privilegium non errandi à rectitudine voluntatis pendebat; porro amiserunt voluntatis rectitudinem.

2º Voluntatis:

Amiserunt rectitudinem voluntatis, seu, quod idem est, justitiam originalem; imò diabolo fuerunt subjecti.

Amiserunt justitiam originalem: Vidimus enim con-

cupiscentiam à peccato ortam fuisse, ubi probavimus protoparentes ab eâ fuisse immunes in statu innocentiæ.

Diabolo fuerunt subjecti : Nam 1. II Petr. 2, 19 : *A quo... quis superatus est, hujus et servus est ;* ergo protoparentes in peccato suo à diabolo superati, ejus servi constituti sunt. 2. In canone suprà citato, Adam *incurrit, cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deindè habuit imperium, hoc est, diaboli.*

Corol. Ergo per peccatum imminutæ, non verò destructæ fuerunt vires liberi arbitrii protoparentum.— Fuerunt imminutæ : Siquidem libero arbitrio concupiscentiæ et diabolo per peccatum subjecto, vires ad bonum imminutæ fuerunt ;—non verò destructæ : Concil. Trid., sess. 6, can. 5 : *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satanâ invectum in Ecclesiam ; anathema sit.*

3º Corporis :

Amiserunt immunitatem à morte et morbo.

Immunitatem à morte : Nam 1. mortui sunt. 2. Rom. 5, 12 : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* 3. In canone suprà citato (sess. 5, can. 1) Concilium Tridentinum docet Adam per peccatum incurrisse *mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus.*

Immunitatem à morbo : Eodem enim principio præservabantur à morte et morbo. Amissâ proindè immortalitate, amiserunt immunitatem à morbo.

II. Extrinseca, scilicet :

Dominium facti in res inferiores et animalia: sic enim Adamum allocutus est Deus post peccatum : Gen. 3, 17, 18 : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ.* Ergo protoparentes amiserunt dominium facti in res animalibus inferiores ; à pari in animalia.

Habitationem in Paradiso : Gen. 3, 23, 24 : *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram de quâ sumptus est. Ejecitque Adam...*

II.

PECCATUM ADAMI FUIT POSTERIS TRANSFUSUM, EXCEPTIS CHRISTO ET B. V. MARIA ; — INDÈ POSTERI AMISERUNT PRIVILEGIA STATUS INNOCENTIÆ.

§ I. — Peccatum Adami fuit transfusum posteris, exceptis Christo et B. V. Mariâ.

Tria includit hæc propositio : 1° Homines nascuntur peccato originali obnoxii. 2° Excipiuntur Christus et B. V. Maria. 3° Soli excipiuntur.

I. Homines nascuntur peccato originali obnoxii.

Prob. I. Peccatum originale est : *peccatum, à conceptione, in Adamo contractum, verum et cuique proprium.* — Proindè ad probandam propositionem requiritur et sufficit ostendere: 1° homines in peccato concipi, 2° hoc peccatum esse contractum in Adamo, 3° esse verum, 4° esse unicuique proprium. Porro,

I. Homines in peccato concipiuntur :

Pr. 1ª. *Argum. theol.*—Baptismus ad remissionem

peccatorum ordinatur. Ergo infantes nascuntur rei peccato, si baptismus sit ipsis necessarius. Atqui res ità est. Probanda tantùm *maj.* et *min.*

Baptismus ad remissionem peccatorum ordinatur: Act. 2, 38 : *Baptizetur unusquisque vestrùm in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Symb.Nicæn.: *Confiteor unum Baptisma, in remissionem peccatorum.*

Baptismus est infantibus necessarius : Joan. 3, 5 : *Nisi quis* (etiam infans) *renatus fuerit ex aquâ, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Aliundè Ecclesia exigit ut baptismus infantibus administretur.

Pr. 2ª. *Script. V. T.*—Job. 14, 4 : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu* (Deus) *qui solus es?* Undè sic : Homo nascitur fœdatus maculâ, quam Deus solus potest delere ; proindè maculâ spirituali, seu peccato.

Psal. 50, 7: *Ecce... in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.* (In textu hebr. *iniquitate*, *peccato* , pro *iniquitatibus*, *peccatis*.) Undè sic: Nulla est ratio intelligendi verba hæc de peccatis in conceptione David, à matre commissis ; intelligenda sunt proindè de peccato Davidi proprio. Ergo David in peccato proprio conceptus est ; à pari cæteri homines.

Script. N. T. Ephes. 2, 3: *Eramus naturâ filii iræ, sicut et cæteri.* Rom. 5, 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ità in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* II Cor. 5, 14 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Undè sic : Peccatum actuale supponit libertatem in actu ; porro infantes peccato actuali sunt incapaces ; ergo admittendum est

peccatum originale, si infantes nascantur peccato rei. Porro nascuntur peccato rei; ex textibus citatis constat. Nascuntur enim *filii iræ*, ergo peccato maculati, cùm solos peccatores odit Deus; *omnes peccaverunt*, ergo infantes; peccaverunt omnes qui morti obnoxii sunt, ergo infantes, siquidem sunt mortales; mortui sunt peccato ii omnes pro quibus Christus mortuus est, ergo infantes, pro ipsis nempè mortuum fuisse Christum constabit ex infrà dicendis.

Pr. 3a. Tradit. — Sæculo II° S. Justinus, martyr, in dial. cum Tryph. ait : Christum in Jordane baptizatum propter genus humanum *quod per Adam, in mortem et fraudem seductionemque serpentis inciderat ; ut interim,* inquit, *propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam.* Ergo, juxta S. Justinum, in homine existunt culpæ, aliæ à tentatione serpentis, aliæ à voluntate propriâ provenientes ; seu, quod idem est, peccatum originale et actuale. — Tatianus, in orat. contr. Græc. ait *nos propter priscorum hominum inobedientiam, spiritum Dei, perfectam justitiam sanctitatemque amisisse.*—S. Irenæus, lib. 3 contra hær.: *Impossibile erat ut salutem perciperet* (sine Christo) *qui sub Adæ peccato ceciderat.*

Sæc. II° et III°, Tertullianus, de testim. animæ, c. 3: *Per quem* (diabolum) *homo à primordiis circumventus, ut præceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus ; exindè totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.*—Origenes, in Cant. Cantic. homil. 3 : *Serpens qui seduxerat Evam, peccati in eam venena diffundens, omnem posteritatis sobolem, contagio prævaricationis infecit.*

*

Multa aliorum Patrum testimonia omittimus, ut Chrysostomi, Cypriani, Athanasii, etc., etc., quæ legi possunt apud Bellarminum, t. 3, Controv. *de amissione grat. sive de statu peccati.*

Pr. 4ª. *Concil.* 1° Viginti quatuor Concilia damnaverunt Pelagianos dogma peccati originalis negantes.

2° Conc. Trid. sess. 5, can. 2: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse; et acceptam à Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ: anathema sit.*

II. Peccatum originis in Adamo fuit contractum:

Pr. 1ª. *Script.* Rom. 5, 12: *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.* Ibid. v. 19: *Per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi.*

Pr. 2ª. Ex fide Ecclesiæ.

Pr. 3ª. Concil. Trident. affirmat, in sess. 5, can. 2, prævaricationem Adæ non sibi soli, sed etiam propagini ejus nocuisse; Adamum per eam nobis sanctitatem et justitiam perdidisse et peccatum suum transfudisse. In can. 3 docet peccatum Adami, origine unicum, nobis transfusum fuisse.

III. Peccatum originale est verum peccatum:

Prob. 1ª. Juxta Scripturam et traditionem, homines nascuntur *peccatores*, sine addito; ergo peccato propriè dicto maculati, nisi probetur verba hæc intelligenda esse in sensu metaphorico. Porro non probatur.

Pr. 2ª. *Ex Concil. Trident.* 1° Concilium (sess. 5, can.

2) vibrat anathema contra eos qui affirmant Adamum posteritati non transmisisse peccatum quod est *mors animæ*. Porro peccatum quod est mors animæ est peccatum propriè dictum, ut evidens est. 2° In can. 4, docet parvulos *baptizandos... lavacro expiari*. Ergo infantes purificatione, expiatione indigent; ergo nascuntur maculati peccato. 3° In can. 5, vibrat anathema contra eos qui negant per baptismum remitti *id quod veram et propriam peccati rationem habet*. Ergo peccatum originale, quod remittitur per baptismum, habet veram rationem peccati. In eodem canone affirmat baptizatos fieri *innocentes, immaculatos, puros*, innoxios; ergo ante baptismum erant nocentes, maculati, impuri, noxii; ergo affecti peccato. 4° In sess. 6, cap. 1 et 3, affirmat homines in prævaricatione Adæ factos esse *immundos, servos peccati; propriam injustitiam contraxisse:* quæ omnia supponunt peccatum originale esse peccatum verum.

IV. Peccatum originale est unicuique proprium:

Pr. 1ª. *Arg. theol.* Nemo dici potest *peccator* sine addito, seu sensu proprio, solâ imputatione extrinsecâ peccati alieni. Ergo peccatum originale est proprium unicuique, si omnes nascantur peccatores sine addito; porro hoc est certum, ut suprà probavimus.

Pr. 2ª. *Script.* Rom. 6, 23: *Stipendia... peccati, mors*. Porro mors est unicuique propria; ergo cuique proprium est peccatum, cujus mors stipendia. Ibid. 5, 19: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ità et per unius obeditionem, justi constituentur multi*. Porro justitia à Christo concessa unicuique est propria; ergo à pari peccatum in Adamo contractum.

Pr. 3ª. Concil. Trid. sess. 5, can. 3, docet peccatum originale *inesse unicuique proprium;* et, sess. 6, cap. 3, *homines prævaricatione Adæ, propriam injustitiam contrahere.*

Prob. II. Dogma peccati originalis est fundamentum religionis mosaïcæ et christianæ. Ergo, si falsum est dogma peccati originalis, falsa utraque religio; quod rejiciendum, ex dictis ubi *de Locis theologicis.*

Tertia probatio deduci posset ex solutione objectionum. Hanc omittimus quia objectiones propositionis explicatione diluuntur.

II. Excipiuntur Christus et B. V. Maria:

1º Christus à peccato originali fuit immunis.

Prob. 1ª. Homines nascuntur maculati peccato originali, quia ex semine Adami generantur. Porro Christus non ex semine Adami, sed de Spiritu Sancto conceptus fuit. Ergo.

Prob. 2ª. In Christo, natura humana et divina hypostaticè uniuntur; undè sequitur communicatio idiomatum, vi cujus Christo attribui possunt proprietates divinitatis et humanitatis. Proindè, si Christus peccatum originale contraxisset, meritò dici posset Hominem-Deum fuisse peccato maculatum, quod absurdum.

2º B. V. Maria, à primo conceptionis instanti, fuit immunis à peccato originali; *seu, quod idem est,* Ejus conceptio fuit immaculata.

Per conceptionem hìc intelligimus unionem animæ cum corpore. Affirmamus ergo in propositione B. V. Mariam fuisse à peccato originali immunem à primo conceptionis instanti, ac proindè ab instanti creationis,

siquidem anima creatur eodem instanti quo corpori infunditur.

Affirmant pseudoreformati B. Virginem peccato originali, et in conceptione et in nativitate, fuisse maculatam.

Omnes Catholici semper tenuerunt nativitatem B. Virginis fuisse sanctam. Olim graves agitatæ fuerunt controversiæ circa sanctitatem ejus conceptionis. Nunc Doctores et fideles communissimè tenent B. Virginem fuisse immaculatam, seu immunem à peccato originali, à primo conceptionis instanti.

Prob. 1ª. *Arg. theol.* Si B. Virgo peccato originali fuisset in conceptione maculata, ergo 1° Maria, Spiritûs S. sponsa, Filii mater, fuisset diabolo et peccato submissa, Deo odibilis; 2° Filius denegâsset matri privilegium angelis, protoparentibus, imò dæmonibus concessum; 3° corpus Domini, ex Mariâ Virgine conceptum, in matre saltem, fuisset peccato et diabolo submissum. Quæ conclusiones offendunt aures christianas; falsum proindè principium à quo fluunt.

Omnes theologi catholici affirmant nativitatem Mariæ immaculatam, quia nativitas maculata ipsius dignitatem dedeceret; ergo ipsius conceptionem immaculatam necesse est admittere, si dignitati Mariæ conceptio maculata pariter contradicat. Porro rem ità esse evidenter patet.

Prob. 2ª. *Script.* Deus, post peccatum protoparentum, serpentem alloquitur his verbis: Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Undè sic: B. Virgo sola, per Filium,

contrivit caput serpentis, seu diaboli ; ergo mulier de quâ agitur in hoc textu est B. Virgo ; ergo inter eam et diabolum existit inimicitia, et quidem perpetua, cùm textus sit generalis ; ergo B. Virgo fuit à conceptione immaculata, alioquin inimicitia inter illam et diabolum non fuisset perpetua.

Prob. 3ª. *Tradit.* I°, II° et III° Ecclesiæ sæc.—In epistolâ Sacerdotum et Diaconorum Achaiæ, de martyrio S. Andreæ, sic Apostolus proconsulem alloquitur : *Et propterea, quòd ex immaculatâ terrâ creatus fuerat primus homo, necesse erat ut ex immaculatâ Virgine nasceretur perfectus homo, quo Filius Dei, qui antè condiderat hominem, vitam æternam quam perdiderant homines repararet.*—Origenes, homil. 1 in Luc. hæc habet de Mariâ : *Nec serpentis venenosi afflatibus infecta est.*

IV° sæc.—Amphiloquus, Iconensis episcopus, affirmat, serm. 4 in Deiparam, Deum formâsse B. Virginem *sine maculâ et sine peccato.* — S. Ambrosius Mariam his verbis designat : *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.*—S. Epiphanius, de laud. Virg., dicit de Mariâ : *Solo Deo excepto, cunctis superior extitit, naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, et omni exercitu Angelorum... Ovis immaculata, quæ peperit Agnum Christum.*—S. Hieronymus explicans hæc verba, in commentar. Psal. 77 : *Et deduxit eos in nube diei,* hæc habet : *Ecce Dominus venit in Ægyptum in nebulâ levi. Nubem levem, aut propriè Salvatoris corpus debemus accipere, quia leve fuit, et nullo peccato prægravatum : aut certè nubem levem debemus sanctam Mariam accipere, nullo semine humano præ-*

gravatam. Ecce Dominus venit in Ægyptum sæculi istius super nubem levem, Virginem. Et deduxit eos in nube diei. *Pulchrè dixit* diei ; *nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* — S. Augustinus, contra Pelagianum affirmantem infantes, ex parentibus baptizatis ortos, nasci peccato originali immunes, sequentia affirmat : *Exceptâ itaque sanctâ Virgine Mariâ, de quâ, propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem ; undè enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum? Hâc ergo Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos, et Sanctas, cùm hìc viverent, congregare possemus, et interrogare utrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrùm hoc, quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si de hoc interrogari potuissent, nonne unâ voce clamarent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?* —Juxta S. Ephrem, orat. de S. Dei genitr., B. Virgo est : *Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsùs pudica, atque ab omni sorde et labe peccati alienissima, Dei sponsa et Domina nostra.*

V° sæc. — Ex S. Cyrillo Alex. l. 6 in Joan. : *Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus est, et sacratissimâ etiam Virgine, ex quâ Deus homo prodiit in mundum, exemptâ, cum peccato originali nascimur, et gravissimâ cæcitate depressi in mundum venimus, quam quidem cæcitatem de radice primi parentis con-*

traximus. Et, in Conc. Eph. n. 6 : *Quis unquàm audivit architectum, qui sibi domum ædificavit, ejus occupationem et possessionem primò suo inimico cessisse?* —S. Maximus, homil. 5 ante natale Dom.: *Idoneum planè Maria Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratiâ originali.*

VI° sæc.—S. Fulgentius, serm. de laud. Mar., dicit Mariam ab Angelo salutatam fuisse *plena gratiâ*, quia prima iræ sententia fuerat erga eam *absolutè destructa.*

VII° sæc.—Juxta S. Ildefontium, disput. de V. M., *Constat eam ab originali peccato fuisse immunem.*

VIII° sæc.—S. Joannes Damascenus, Orat. de Nativ. B. M. V.: *Quoniam futurum erat, ut Dei Genitrix ac Virgo ex Annâ oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantisper expectavit dùm gratia fructum suum produxisset.* Et, orat. 2 de Assumpt.: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit.*

X° sæc.—S. Petrus Damianus, orat. 2 de Nativ. M., hæc ait : *Caro Virginis, ex Adam sumpta, maculas Adam non admisit.*

XI° sæc.—S. Anselmus, de Conceptu Virgin. c. 18: *Decuit ut Virgo, quam Deus unigenito Filio suo præparavit in Matrem, eâ puritate niteret, quâ major sub Deo nequit intelligi.* Et, in Comment. c. 12 ep. ad Cor.: *Omnes mortui sunt in peccatis sive originalibus, sive voluntate additis, nemine prorsùs excepto, demptâ Matre Dei.*

XIII° sæc.—S. Bonaventura, serm. 2 de B. V. : *Domina nostra fuit plena gratiâ in suâ sanctificatione, gratiâ, scilicet, præservativâ contra fœditatem originalis culpæ.*

Plura non adducemus, quia textus citati ad scopum nostrum sufficiunt.

Prob. 4ª. *Auctor. theolog.* Immaculatam Conceptionem admiserunt: 1. Ordines religiosi: Ordo ipse FF. Prædicatorum, qui primò opinioni communi oppositus, tandem anno 1843, die 10 octobris, à Gregorio XVI impetravit et obtinuit licentiam celebrandi festum Conceptionis, simulque B. V. Conceptionem *Immaculatam* in Præfatione proclamandi; 2. Plerique theologi scientiâ eminentissimi, Thomistis exceptis; 3. Pleræque orbis catholici Academiæ et Universitates, inter quas enituit Universitas Parisiensis, quæ, anno 1385, hanc propositionem: *Non omnem hominem, præter Christum, contraxisse peccatum originale, est expressè contra fidem*, damnavit ut falsam, scandalosam, præsumptuosè assertam, et piarum aurium offensivam.

Prob. 5ª. *Auctor. SS. Pontif.* Sixtus IV, anno 1470, indulgentias concessit iis qui in festo Conceptionis missam audirent; festi horas canonicas recitarent, aut recitationi participarent. Missam et officium approbavit, in quibus Conceptio B. V. *Immaculata* designatur. Anno 1483, in Constitutione improbat ut temerariam, scandalosam, agendi rationem prædicatorum, et auctorum, qui affirmant hæreticam esse doctrinam de Immaculatâ Conceptione, et contra eos decernit excommunicationem; et, sub eâdem pœnâ, prohibet ne hæretica appelletur doctrina negans Conceptionem Immaculatam.

S. Pius V, anno 1568, Festum Conceptionis, hucusquè liberum, universæ Ecclesiæ obligatoriè præscripsit. Anno 1570, ingravescente controversiâ, prohibuit sub

gravibus pœnis, ne prædicatores in sermonibus suis defenderent aut oppugnarent doctrinam Immaculatæ Conceptionis; ne auctores de eâdem quæstione scriberent idiomate vulgari; permisit tantùm discussiones de hâc materiâ in concertationibus academicis, et in congregationibus generalibus aut provincialibus ordinum religiosorum.

Paulus V, anno 1616, innovat constitutiones Sixti IV et Pii V. Anno 1617, prohibet sub pœnis gravibus ne in concertationibus academicis, etiamque congregationibus ordinum religiosorum, audeat quis affirmare B. Mariam fuisse peccato originali maculatam.

Gregorius XV, anno 1622, idem prohibet in conversationibus et scriptis privatis; exceptis tamen Brevi particulari, religiosis ordinis FF. Prædicatorum. Item præcipit omnibus clericis tùm sæcularibus, tùm regularibus, ut, sive in missæ sacrificio, sive in officiis divinis, designent festum his verbis: *Festum Conceptionis;* non verò his aliis: *Festum sanctificationis B. M. V.*, quæ, priori titulo, à FF. Prædicatoribus et ecclesiis particularibus substituta fuerant.

Alexander VII, anno 1661, in Constitutione *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, hæc ait: *Vetus est Christi fidelium, erga ejus Beatissimam Matrem V. Mariam, pietas sentientium ejus animam, in primo creationis instanti, atque infusionis in corpus..., à maculâ peccati originalis præservatam, immunem, atque, hoc sensu, ejus Conceptionis festivitatem solemniter colentium et celebrantium.*

Gregorius XVI, et SS. DD. Pius PP. IX, nunc feliciter regnans, permiserunt multis Ecclesiis ut in Præ-

fatione festi Conceptionis, hæc verba canantur: *Et in Conceptione Immaculatâ;* et Litaniis Lauretanis addatur hæc invocatio: *Regina sine labe concepta.*

His omnibus patet quantum favorem concesserint Summi Pontifices doctrinæ Immaculatam Conceptionem affirmanti.

Prob. 6ª. *Fide Eccles.* Fides Ecclesiæ Græcæ manifestatur liturgiis; in his enim appellatur Maria *ex omni parte inculpata.*

Ecclesiæ Latinæ fides manifestatur 1° declarationibus Summorum Pontificum, ut suprà vidimus; 2° Festo Conceptionis celebrato in omnibus Ecclesiis; et quidem in multis, sub titulo *Immaculatæ.* Porro Ecclesia honorat solummodò personas et res sanctas. Cùm ergo instituerit festum Conceptionis B. Mariæ, credit hanc Conceptionem fuisse sanctam, ac proindè immaculatam, seu ab originali peccato immunem.

Prob. 7ª. *Conciliis.* Concilium Basileense, sess. 36, declarat doctrinam Immaculatæ Conceptionis, *tanquàm piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, et sacræ Scripturæ ab omnibus catholicis approbandam, tenendam et amplectendam.* Quamvis Concilium, cùm hanc declarationem emisit, jamjàm non fuerit œcumenicum, hoc actu saltem manifestatur opinio Patrum Basileensium.

In Concilio Tridentino Cardinalis Pacheco Patribus Concilii proposuerat decisionem de Immaculatâ Conceptione. Tempore autem ad examinandam quæstionem deficiente, à Patribus rogabat ut in decreto de peccato originali declararetur: *Concilium de B. V. Mariâ nihil definire, quamvis credat eam in Conceptione fuisse à*

peccato originali immunem. Assenserunt plerique Patres. Reclamantibus autem ordinis Prædicatorum Episcopis, aliisque membris, formulæ à Card. Pacheco propositæ Patres substituerunt sequentem : *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones Papæ Sixti IV, sub pœnis his constitutionibus contentis, quas innovat.* De istà agendi ratione notandum : 1. Doctrinam Conceptionis *Immaculatæ* à plerisque Patribus fuisse admissam ; 2. B. Virginem à decreto de peccato originali exceptam ; imò appellatam in hoc decreto *Immaculatam ;* 3. à Patribus innovatas fuisse constitutiones Sixti IV, doctrinæ Immaculatæ Conceptionis faventes.

Ità Auctor, anno 1848.

Hodiè *supremo* SS. DD. NN. Pii PP. IX, *judicio et auctoritate* definita est quæstio, per Constit. *Ineffabilis Deus*, Romæ dat. 6 Idus decemb. 1854. Ex eà constitutione sequentia excerpimus :

Breviter resumptis actis et decretis RR. Pontificum, doctrinà spectatissimarum Religiosarum Familiarum, celebriorum Academiarum, et præstantissimorum Doctorum, testimoniis Conciliorum, effatis Patrum, divinisque scripturarum eloquiis ; relatis responsis et votis, quibus totius orbis catholici Pastores, Encyclicis Litteris an. 1849 ab Ipso Cajetæ datis respondentes, propriam et omnium fidelium fidem de Immaculatà Conceptione B. M. V. manifestabant ; sic pergit R. Pontifex : « Ita-
» que plurimum in Domino *confisi advenisse temporum*

» *opportunitatem* pro immaculata Sanctissimæ Dei Ge-
» nitricis Virginis Mariæ Conceptione definienda, quam
» *divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ec-*
» *clesiæ sensus, singularis catholicorum Antistitum*
» *ac fidelium conspiratio et insignia Prædecessorum*
» *Nostrorum acta, constitutiones* mirifice illustrant
» atque declarant; rebus omnibus diligentissimè per-
» pensis, et assiduis, fervidisque ad Deum precibus
» effusis, *minime cunctandum Nobis esse censuimus*
» *supremo Nostro judicio* Immaculatam ipsius Virginis
» Conceptionem *sancire, definire,* atque ita pientissimi
» catholici orbis desideriis, Nostræque in ipsam sanc-
» tissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in
» Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum nostrum
» Jesum Christum magis ac magis honorificare,
» cum in Filium redundet quidquid honoris et lau-
» dis in Matrem impenditur. Quare... auctoritate Do-
» mini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum
» Petri et Pauli, ac Nostra, DECLARAMUS, PRONUNCIAMUS
» ET DEFINIMUS DOCTRINAM, QUÆ TENET BEATISSIMAM VIRGI-
» NEM MARIAM IN PRIMO INSTANTI SUÆ CONCEPTIONIS FUISSE
» SINGULARI OMNIPOTENTIS DEI GRATIA ET PRIVILEGIO, INTUITU
» MERITORUM CHRISTI JESU SALVATORIS HUMANI GENERIS, AB
» OMNI ORIGINALIS CULPÆ LABE PRÆSERVATAM IMMUNEM, ESSE
» A DEO REVELATAM, ATQUE ICCIRCO AB OMNIBUS FIDELIBUS
» FIRMITER CONSTANTERQUE CREDENDAM. Quapropter si
» qui secus ac à Nobis definitum est, quod Deus aver-
» tat, præsumpserint corde sentire, ii noverint, ac
» porro sciant, se proprio judicio condemnatos, nau-
» fragium circa fidem passos esse, et ab unitate Eccle-
» siæ defecisse, ac præterea facto ipso suo semet pœnis

» a jure statutis subjicere, si quod corde sentiunt, ver-
» bo aut scripto, vel alio quovis externo modo signi-
» ficare ausi fuerint. »

Nunc ergo *de fide* est B. V. Mariam fuisse à primo suæ conceptionis instanti ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem.

III. Christus et B. V. Maria à peccato originali soli præservantur.

Prob. 1ª. Omnes probationes in primâ propositione expositæ sunt generales ; nullas proindè, præter probatas, admittunt exceptiones.

Prob. 2ª. Si quidam excipiendi essent, maximè, ut volunt Zuinglius, Calvinus, infantes à parentibus fidelibus orti ; porro hoc falsum est. Nam 1° David, quamvis à parentibus fidelibus ortus, de se dicit, Ps. 50, 6 : *In iniquitatibus conceptus sum.* 2° Ecclesia exigit ut baptismus infantibus fidelium administretur. 3° Conc. Trid. sess. 5, can. 4, declarat : *Baptismum necessarium esse parvulis, etiamsi fuerint à parentibus baptizatis orti.*

§ II. — Per peccatum originale, Adæ posteri amiserunt privilegia statûs innocentiæ.

I. Essentialia, scilicet :

1° Gratiam sanctificantem :

Prob. 1ª. Hæc est fides Ecclesiæ.

Prob. 2ª. Ob peccatum originale nascimur *filii iræ* (Eph. 2, 3); *facti* (sumus) *immundi* (Conc. Trid. sess. 6, cap. 1); ergo privati gratià sanctificante.

Prob. 3ª. Conc. Trid. sess. 5, can. 2 : *Si quis Adæ*

prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini, asserit nocuisse; et acceptam à Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse... anathema sit.

2° Jus ad finem supernaturalem:

Prob. 1ª. Privantur gratiâ sanctificante; ergo jure ad vitam æternam.

Prob. 2ª. Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo homines in quibus peccatum originale per baptismum non fuit deletum, nequeunt introire in regnum Dei; seu, quod idem est, privantur jure ad finem supernaturalem.

Prob. 3ª. Concil. Florent. et Lugdun.: *Credimus illorum animas qui mortali peccato, vel cum solo originali decederint, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

3° Jus ad gratias actuales:

Prob. Amisso jure ad finem, amittitur jus ad media.

II. Accidentalia,—sive *intrinseca,* sive *extrinseca.*

Prob. 1ª. Elementa accidentalia pendent ab essentialibus quoàd existentiam; ergo, prioribus per peccatum originale amissis, posteriora amitti necesse fuit.

Prob. 2ª. Propositio nostra sequitur ex canonibus 1 et 2 sess. 5 Conc. Trid. jàm citatis.

EXPLICATIO.

Tria sunt explicanda: 1° peccatum protoparentum, 2° peccatum originale, 3° utriusque peccati consequentia.—Ad quod, 1. cujusque propositionis partes singillatìm evolvere, 2. illarum ostendere relationes necesse est.

I.

PARTES PROPOSITIONUM SINGILLATIM EVOLVUNTUR.

§ I. — De peccato protoparentum.

Tria sunt explicanda : 1° causa, 2° species, 3° gravitas.

I. Causa. — *Quænam fuerit causa peccati protoparentum?*

Resp. De hâc quæstione quædam sunt nota, quædam inquirenda.

Ab omnibus notum et admissum est : 1° voluntatem liberam protoparentum fuisse causam efficientem peccati quod commiserunt ;

2° Tentationem diaboli fuisse causam excitantem immediatam peccati Evæ, mediatam peccati Adæ. — Immediatam peccati Evæ : hoc sequitur evidenter ex narratione tentationis Evæ (Gen. cap. 3); mediatam peccati Adæ : siquidem, ex Scripturâ, Eva à serpente seducta, suâ vice Adamum tentavit et ad peccatum adduxit.

Quæritur autem 1° utrùm tentatio diaboli fuerit externa tantùm, an etiam interna ; 2° utrùm, cum tentatione diaboli, alia causa excitans concurrerit ad peccatum protoparentum ?

Ad 1am scilicet : *Utrùm tentatio diaboli fuerit externa tantùm, an etiam interna?*

Præmittendum : In statu præsenti duplex potest esse tentatio diaboli, alia interna, alia externa : *interna*, quâ diabolus agit in imaginationem, in partem inferiorem, in corpus hominis ; *externa*, quâ utitur rebus externis et sensibilibus ad impellendum hominem ad malum. Quo posito ,

Resp. De quæstione duplex est opinio: *Prima* affirmat tentationem fuisse merè externam. Nam, si fuisset interna, diabolus in imaginatione, vel inferiori parte, vel in corpore protoparentum motus inordinatos excitâsset, quod repugnat justitiæ originali quâ præditi erant. Ità D. Thomas, 2-2, q. 165, art. 2 ad 2.

Secunda contradictoria negat tentationem externam, affirmatque narrationem de tentatione esse intelligendam in sensu metaphorico. Res ità est, inquiunt hujus sententiæ fautores, si hâc voce *serpens* diabolus possit designari et reverà designetur. Atqui 1º potest designari: nam in Scripturâ diabolus, sine corpore assumpto, serpens appellatur. 2º Reverà designatur: quia 1. de serpente illo dicitur fuisse callidiorem cunctis animantibus terræ, quod falsum est in sensu naturali; quia 2. serpens absque miraculo loqui non poterat; porro de miraculo tacet Moyses: proindè locutio fuit merè interna; quia 3. Eva serpentem loquentem horruisset et cum eo locuta non fuisset: cognovisset enim dæmonem per serpentem loqui; quia 4. Deus serpenti maledixit, quod de serpente propriè dicto intelligi non potest. Ità Cajetanus.

Tertia existere posset opinio inter præcedentes intermedia, affirmans scilicet tentationem fuisse simul externam et internam. His opinionibus positis,

1º Valdè probabilior est opinio D. Thomæ ab intrinseco, propter rationem expositam; ab extrinseco, quia communiter admittitur.

2º Opinio intermedia est multò minùs probabilis quàm prima: constat ex propositione præcedenti.

3º Falsa est et malè probata opinio Cajetani.—Falsa;

narratio enim Scripturæ sensu naturali interpretanda est, cùm sensus metaphoricus repugnet circumstantiis narrationis et interpretationi communi.

Malè probata: Ad 1am objectionem, R. Ex eo quòd diabolus in se sæpè appelletur serpens, nihil indè. Ex circumstantiis enim tentationis Evæ certò apparet serpentem, designatum in narratione, fuisse realem. *Imò* ex S. Hieronymo, diabolus appellatur *serpens*, quia serpenti reali usus est ad tentandum hominem. Ad 2am: Serpens Evam tentans potuit dici callidior omnibus animantibus; siquidem 1. à diabolo dirigebatur; 2. de serpente in se considerato dicit Christus, Matth. 10, 16: *Estote... prudentes sicut serpentes.* Ad 3am: Absque miraculo diabolus potuit loqui per serpentem; nihil proindè mirum si Moyses de miraculo taceat. Ad 4am: Non horruit Eva, quia animalia erant protoparentibus subjecta. Cum eo locuta est, quia satis credibile est Evam cognovisse à Deo creatos fuisse spiritus ratione utentes et habentes potestatem in corpora; aliundè etiam credibile est eam instanti tentationis, ignoràsse lapsum Angelorum qui solà revelatione posteriùs fuit ipsi cognitus. Ad 5am: Maledictio à Deo contra diabolum prolata est, expressa tamen fuit metaphoricè per proprietates naturales serpentis; sed indè non sequitur diabolum medio veri serpentis usum non fuisse ad Evam tentandam.

Ad 2am quæst. scilicet: *Utrùm, cum tentatione diaboli, alia causa excitans concurrerit ad peccatum protoparentum?*

Resp. De duplici causà quæstio esse potest: 1º de concupiscentià, 2º de ignorantià et errore.

1° Si de concupiscentiâ : — Certum est et ab omnibus admissum, illam ad peccatum protoparentum non concurrisse : protoparentes enim possidebant justitiam originalem.

2° Si de ignorantiâ aut errore : — Certum est et ab omnibus admissum, nullam ignorantiam, nullum errorem speculativum ad peccatum concurrisse ; id est, non peccaverunt protoparentes quia judicaverunt propositionem, per quam eos tentavit diabolus, esse veram in se. Nam ante peccatum protoparentes erant ignorantiâ et errore immunes ; ergo ad peccatum eorum non potuit concurrere ignorantia aut error speculativus.

Controvertitur autem utrùm concurrerit error practicus aut ignorantia. (*Error practicus* dicitur judicium quo peccator pronuntiat talem actionem malam nunc eligendam esse et agendam.)

Triplex opinio. *Prima* affirmat, quia agens non potest humano modo, seu liberè procedere ad actum, nisi pronuntiaverit, seu, quod idem est, judicaverit talem rem esse agendam. Ad peccatum protoparentum ergo concurrit error practicus. Ità, juxta quosdam, D. Thomas. *Secunda* affirmat ad peccatum protoparentum concurrisse, non quidem errorem practicum positivum, sed absentiam considerationis culpabilem, quæ ignorantiæ æquivalet ; scilicet protoparentes ad malum propositionis diaboli non attendentes peccatum elegerunt. Ità, juxta plures, D. Thomas. *Tertia* omninò negat. Nam 1. protoparentes immunes esse debuerunt ab errore, etiam practico. 2. Si admittendus esset error practicus in protoparentibus, maximè quià electio voluntatis judicium supponeret ; porro hoc falsum est.

Supponit quidem electio ut res voluntati ut delectabilis et utilis proponatur, non verò ut intellectus de re propositâ judicet: immediatè enim voluntas bonum eligere potest. Porro malum ut utile protoparentibus à diabolo fuit propositum et protoparentes huic immediatè acquieverunt. 3. Ex opinione D. Thomæ libertas ab intellectu penderet; porro hoc falsum est: voluntas enim intellectui imperat cogitare, ratiocinari, imò credere in fide. Ità Cajetanus.

Ab extrinseco probabilior *secunda* opinio. Ab intrinseco neutra caret probabilitate; probabilior forsan etiam *secunda*. Prima enim exigit ad peccatum errorem positivum, aliquo modo repugnantem immunitati ab errore quâ præditi erant protoparentes. Tertia negat dependentiam voluntatis ab intellectu, quod relationibus naturalibus inter intellectum et voluntatem contradicere videtur. Secunda mitigat primam, exigendo tantùm inconsiderationem, et tertiam, conservando dependentiam voluntatis ab intellectu.

Ex dictis conciliari potest possibilitas peccati protoparentum cum immunitate ab ignorantiâ, errore et concupiscentiâ, quâ donati fuerant. Eorum enim peccatum non procedit ex concupiscentiâ, benè verò ex tentatione extrinsecâ diaboli. Non procedit ex errore speculativo, omnes admittunt. Neque ex errore practico: Hoc certum est in opinione Cajetani, ut evidens est. Hoc est etiam certum in opinione D. Thomæ, quæcumque explicatio admittatur: dici enim potest inconsiderationem aut errorem includi in peccato, concomitari peccatum. Peccat nempè homo inchoativè, eo quòd ratio pravè judicat aut omittit considerare; consummativè, eo quòd

...untas malum eligit. Duo actus prædicti ratione separabiles uniuntur ad constituendum peccatum reale. Dici autem non potest peccatum procedere ex inconsideratione, aut errore; nam error non præcedit peccatum. Vera proindè manet propositio: protoparentes ante peccatum fuisse ignorantiâ et errore immunes.

II. Species. — *Quænam fuerit species peccati protoparentum?*

Resp. In primo actu peccaminoso protoparentum plura diversæ speciei includuntur peccata. Quædam sunt Adamo et Evæ communia, alia specialia.

Communia:

1um. *Superbia. Pr.* 1a. Impossibile erat protoparentes in statu innocentiæ peccâsse ex purâ malitiâ, seu electione mali propter se; ergo protoparentes voluerunt peccatum ut medium ad bonum. Porro duplex bonum, sensibile scilicet et spiritale. Atqui non potuerunt primò peccare appetitu boni sensibilis, siquidem ante peccatum erant immunes à concupiscentiâ; peccaverunt proindè appetitu inordinato boni spiritualis. Porro hic appetitus nihil aliud est quàm superbia. Hæc probatio confirmatur narratione biblicâ. Protoparentibus enim promisit diabolus similitudinem specialem cum Deo: *eritis sicut dii.*

Pr. 2a. Eccli. 10, 14: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia.* Tob. 4, 14: *In ipsâ* (superbiâ) *enim initium sumpsit omnis perditio.*

Pr. 3a. Plerique Patres propositionem nostram admittunt. Juxta D. Thomam absque ratione et impro-

babilissimè affirmaretur protoparentes voluisse similitudinem æquiparentiæ cum Deo. In hoc verò sita fuit superbia, quòd appetiverint 1. scientiam boni et mali à Deo independentem, ità ut potuissent per virtutem propriæ naturæ sibi determinare quid esset bonum, quid esset malum, 2. potestatem à Deo independentem, vi cujus potuissent proprià virtute operari et beatitudinem consequi. Sic, juxta Angelicum Doctorem, intellexerunt hæc verba serpentis : *eritis sicut dii.*

Not. Primo peccato semel commisso, protoparentes perdiderunt justitiam originalem ; ignorantiæ, errori, concupiscentiæ et diabolo fuerunt submissi, et ad peccata excitati iisdem incitamentis quibus incitamur. Sic explicantur peccata quæ sequuntur.

2um. *Infidelitas.* Verbis enim diaboli, similitudinem cum Deo promittentis, potiùs quàm revelationi divinæ crediderunt protoparentes.

3um. *Gula.* Gen. 3, 6 : *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit.*

4um. *Inobedientia* specialis, per actualem transgressionem præcepti positivi quo arcebantur ab esu fructûs arboris scientiæ boni et mali.

5um. Illicita peccati *excusatio*. Rejicit enim Adam peccatum suum in Evam et Eva in serpentem.

Specialia :

Evæ : *scandalum*, Adamum ad peccatum inducendo.

Adami : illicita erga uxorem *complacentia.*

III. Gravitas. — *Utrùm peccatum protoparentum fuerit grave et omnium gravissimum?*

Resp. Peccatum protoparentum fuit grave. Quoàd objectum non fuit omnibus gravissimum, benè verò quoàd circumstantias et effectus.

Fuit grave : evidens est.

Non fuit quoàd objectum omnibus peccatis gravissimum ; minus enim erat grave quàm Dei odium, quàm actus superbiæ appetentis similitudinem omnimodam cum Deo.

Fuit gravissimum 1° quoàd circumstantias : attentâ scilicet consideratione personarum ; nullâ enim laborabant protoparentes pronitate ad malum, tarditate ad bonum, ignorantiâ, concupiscentiâ ; 2° quoàd effectus : infecit enim totam naturam humanam, quæ indefinitè multiplicari potest, in eamque invexit innumera mala ordinis tùm naturalis, tùm supernaturalis.

§ III.— De peccato originali.

Dicendum 1° de naturâ, 2° de proprietatibus, 3° de transmissione, 4° de exceptionibus.

I. De Naturâ. — *Quænam sit natura peccati originalis?*

Præmit. De naturâ peccati originalis multæ sunt sententiæ (1).

1ª. Origenis. Peccatum originale est peccatum in cœlo commissum. Sic explicatur : Animæ humanæ creatæ sunt unà cum Angelis ; fastidio bonorum spiritualium amare cœperunt res terrenas, et in pœnam hujus peccati, in corpora, tanquam in carceres, à Deo detrusæ fuerunt.

(1) Vid. fusiùs Bellarmin. Controv. *de Amissione gratiæ*, l. 5.

2ª. Alberti Pighii. Peccatum originale est peccatum actuale Adami extrinsecùs posteris imputatum.

3ª. Tertulliani. Peccatum originale est peccatum Adæ animæ posterorum per generationem spiritualem, seu ex traduce transfusum. Sic explicatur : Animæ filiorum ex animâ patris trahuntur quemadmodùm ex corpore patris corpus filii. Proindè ex animâ Adami peccato vitiatâ nascitur posterorum anima peccato patris infecta.

4ª. Illyrici et quorumdam Lutheranorum. Peccatum originale est substantialis imago diaboli. Sic explicatur : Homini naturali in principio addita fuit substantia quædam supernaturalis quâ efficiebatur homo imago Dei et capax visionis intuitivæ ; hæc substantia fuit per diabolum transmutata in suam imaginem.

5ª. Communis Lutheranorum. Peccatum originale nihil aliud est quàm inordinatio potentiarum (intellectûs, voluntatis, etc.) quam in nobis experimur et quam Lutherani appellant *fomitem concupiscentiæ*.

6ª. Magistri sententiarum. Peccatum originale est qualitas quædam naturæ corruptæ inhærens. Sic explicatur : Peccatum est inclinatio ad creaturas ; indè voluntas Adami fuit per peccatum infecta qualitate inclinante ad creaturam. Ex hâc inclinatione transfusa est in corpus Adami quædam qualitas morbida quæ, per generationem, corpori posterorum infunditur ; undè redundat in animam inclinatio ad creaturas. Hæc inclinatio animæ est essentialiter peccatum originale in se; qualitas verò morbida corporis est peccatum originale causaliter.

Catholici autem communiter admittunt peccatum

originale esse privationem culpabilem justitiæ originalis. Dissentiunt tamen in hâc affirmatione explicandâ.

Hìc, brevitatis causâ, exponemus opinionem Bellarmini tantùm.

Peccatum originale consideratum sub respectu suo *actuali*, est peccatum commissum ab Adamo proùt personam generis humani gerebat; sub respectu *habituali*, est habitualis aversio mentis à Deo, orta ex peccato generis humani in personâ Adami commisso; proindè privatio culpabilis partis præcipuæ justitiæ originalis.

Quibus expositis, ad quæstionem respondemus:

1° Peccatum originale non est peccatum in cœlo commissum. Nam 1. hæc opinio supponit animas extitisse antequàm in hoc mundo nasceretur homo; porrò falsitas hujus opinionis probata est ubi de origine animæ. 2. Si vera sit hæc opinio; ergo nunquàm in hoc mundo homo fuit à peccato immunis, seu, quod idem est, impossibilis fuit status innocentiæ; ergo voluntate propriâ, et non in Adamo, homines primò peccaverunt: quæ conclusiones Scripturæ, Traditioni, Ecclesiæ fidei et doctrinæ repugnant.

2° Peccatum originale non est peccatum Adami extrinsecùs imputatum. In hâc enim opinione peccatum originale non esset peccatum propriè dictum, non esset peccatum unicuique proprium, quod falsum est ex suprà probatis.

3° Peccatum originale non est peccatum Adami ejus posteritati ex traduce transmissum. Nam 1. hæc opinio supponit animam oriri ex traduce, quod falsum esse probavimus ubi de origine animæ. 2. Si valeret expli-

catio : ergo filii ex parentibus baptizatis orti, nascerentur immunes peccato originali ; siquidem filiorum animæ essent pars animæ parentum à peccato originali immunis : quod falsum est, ut suprà probavimus.

4° Peccatum originale non est substantialis imago diaboli. Nam ex istâ opinione sequeretur 1. existere substantiam per se malam, quod pertinet ad hæresim Manichæorum. Sequeretur 2. vel Deum esse causam peccati, vel aliquam rem existere quæ non sit à Deo, quod falsum est : *Omnia* (enim) *per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil.* (Joan. 1, 3.) Sequeretur 3. peccatum non auferri per baptismum, quo nulla confertur aut aufertur substantia, quod falsum est.

5° Peccatum originale non est fomes concupiscentiæ. Nam 1. peccatum originale est peccatum propriè dictum ; porro concupiscentia non est peccatum. 2. Peccatum originale tollitur per baptismum ; porro concupiscentia permanet post baptismum.

6° Peccatum originale non est qualitas naturæ corruptæ inhærens. Nam 1. in hypothesi prædictâ, peccatum originale, quod est peccatum propriè dictum, crearetur in animâ ex qualitate morbidâ corporis ; atqui hoc absurdum. 2. Peccatum originale tollitur per baptismum ; porro hæc qualitas morbida, quæ in systemate Magistri sententiarum nihil aliud est quàm concupiscentia in quantùm inhæret corpori, per baptismum non destruitur.

7° Peccatum originale, quatenùs *actuale*, est peccatum ab Adamo commissum proùt personam generis humani gerebat ; quatenùs *habituale*, est aversio habitualis à Deo, orta ex peccato generis humani in per-

sonâ Adami commisso ; proindè privatio culpabilis partis præcipuæ justitiæ originalis (1).

Præmit. 1. Peccatum originale est peccatum generis humani, seu naturæ humanæ, siquidem cuilibet homini infunditur câ solâ ratione quòd naturam humanam participat ex Adamo. Aliundè, hâc expressione peccatum *originale* à theologis designatur. 2. In peccato originali adæquatè sumpto duo sunt distinguenda, actus scilicet et habitus. *Actus* est factum legi oppositum, proindè aversio actualis à Deo. *Habitus* est continuatio aversionis à Deo per modum habitûs in animâ permanens, vi cujus homo, etiam post actum, verè dicitur peccator donec ad Deum sese converterit per pœnitentiam. Hæc duo includit peccatum originale : est enim peccatum propriè dictum ; porro peccatum propriè dictum est aversio à Deo actualis primùm, deindè per modum habitûs in animâ perseverans donec retractetur per pœnitentiam. Quo posito,

1° Peccatum originale quatenùs *actuale*, est peccatum actuale ab Adamo commissum proùt personam generis humani gerebat :

Prob. per part. Peccatum originale est peccatum

(1) Vid. Bellarmin. *de Amis. gratiæ*, l. 5, c. 17, et seq. « Si quis, » ait Bellarminus, à nobis quærat quid propriè sit originale pecca» tum : Respondebimus cum distinctione ad hunc modum. Si pec» catum pro actione cum lege pugnante accipiatur ; peccatum ori» ginale est prima Adami inobedientia ab ipso Adamo commissa, » non ut erat singularis persona, sed ut personam totius generis » humani gerebat. Si verò peccatum accipiatur pro eo quod residet » in homine post actionem, et undè idem homo non peccans, sed » peccator nominatur ; peccatum originale est carentia doni justitiæ » originalis, sive habitualis aversio, et obliquitas voluntatis, quæ » et macula mentem Deo invisam reddens appellari potest. »

actuale : Hic enim agitur de peccato originali quatenùs fuit actuale.

Ab Adamo commissum : Vel enim est peccatum Adami, vel peccatum cujusque individui, vel peccatum hominis ab Adamo distincti. Atqui 1. non est peccatum cujusque individui : nam contrahitur peccatum originale in ipsâ conceptione, instanti proindè quo peccati actualis incapax est homo. 2. Non est peccatum hominis ab Adamo distincti : peccatum enim unius hominis non potest fieri peccatum naturæ, quin homo peccans personam generis humani gerat ; porro nullus præter Adam dici potest gessisse personam generis humani. Ergo peccatum originale, quatenùs actuale, est peccatum ab Adamo commissum.

Ab Adamo quatenùs personam generis humani gerebat : alioquin, ut diximus suprà, ejus peccatum fuisset individuale, nec potuisset dici generis humani peccatum.

2° Peccatum originale, quatenùs *habituale*, est aversio à Deo orta ex peccato in Adami personâ commisso, per modum habitûs in animâ perseverans ; proindè est privatio culpabilis partis præcipuæ justitiæ originalis.

Prob. Est habitualis aversio à Deo orta ex peccato in Adami personâ commisso : Nam per peccatum actuale Adami genus humanum à Deo aversum est. Ergo peccatum originale, quatenùs habituale, est aversio à Deo in genere humano per modum habitûs perseverans, cùm ex naturâ suâ peccatum habituale nihil aliud sit quàm peccati actualis continuatio, ut suprà diximus.

Proindè privatio præcipuæ partis justitiæ originalis : Tribus elementis constituebatur justitia originalis, 1.

submissione habituali voluntatis Deo per gratiam sanctificantem et virtutes infusas ipsi annexas, 2. submissione habituali partis inferioris voluntati, 3. submissione corporis animæ. Ex his elementis prius est præcipuum, quia relatio erga Deum est inter relationes hominis præcipua. Porro per peccatum originale homo privatur eâ submissione; siquidem, habitualiter aversus à Deo, amisit gratiam sanctificantem virtutesque ipsi annexas.

Privatio culpabilis : Nam 1. peccatum habituale non differt in se à peccato actuali : nihil aliud est enim quàm ejus continuatio. Proindè privatio habitualis justitiæ originalis est culpabilis, si primum peccatum, cujus est continuatio, sit ad culpam imputabile naturæ humanæ ; porro res ità est, ut infrà dicemus. 2. Probavimus anteà peccatum originale unicuique infusum esse peccatum verum et propriè dictum.

II. De Proprietatibus.— Cùm naturâ suâ peccatum habituale sit continuatio peccati actualis, seu actus voluntatis contra aliquam legem, quæritur 1. cujusnam peccati ab Adamo commissi peccatum originale sit continuatio ; 2. utrùm peccatum illud sit voluntarium, et, in hypothesi affirmativâ, quomodò voluntarium ?

Ad 1^{am} scilicet : *Cujusnam peccati ab Adamo commissi peccatum originale sit continuatio?*

Resp. Peccati originalis causa fuit peccatum ab Adamo commissum contra legem prohibentem esum fructûs arboris scientiæ boni et mali. Absque ratione affirmaretur ex alio Adami peccato, positâ institutione divinâ, peccatum originale potuisse oriri.

Prob. p. part. 1^{a} *p.* Gen. 2, 17 : *In quocumque...*

die comederis..., morte morieris. Ibid. 3, 17 : *Quia audisti vocem uxoris tuæ... maledicta terra...* Rom. 5, 17 : *Si... unius delicto mors regnavit...* Undè sic : peccati originalis causa fuit peccatum illud ex quo secuta est privatio privilegiorum statûs innocentiæ; porro ex peccato quod commisit Adam manducans fructum vetitum secuta est hæc amissio : ex *textibus* enim citatis, per illud peccatum amisit immortalitatem, dominium facti in res inferiores ; à pari alia privilegia. — Hoc aliundè sequitur ex 1° et 2° can. Conc. Trid. sess. 5, jàm citatis.

2ª *p.* Peccatum originale oriri poterat tantummodò ex violatione præcepti impositi Adamo proùt gerebat personam generis humani. Porro, equidem à Deo aliud præceptum Adamo sic considerato imponi potuisset, sed nihil probat fuisse impositum ; ergo.

Ad 2um scilicet : *Utrùm peccatum originale sit voluntarium, et, in hypothesi affirmativâ, quomodo voluntarium?*

Resp. Peccatum originale considerari potest vel quatenùs est actuale, vel quatenùs est habituale.

1° Si quatenùs *actuale :* Fuit voluntarium in Adamo voluntate propriâ ; voluntarium in posteris, voluntate Adami, quæ, non naturaliter quidem, seu vi paternitatis carnalis, sed vi decreti positivi voluntatem generis humani repræsentabat.

Prob. p. part. Fuit voluntarium in Adamo voluntate propriâ : hoc evidens est.

In posteris voluntate Adami : Nam ex Scripturâ, Traditione et Concilio Tridentino omnes homines in Adamo peccaverunt peccato propriè dicto. Ergo pec-

catum voluerunt aliquo modo : peccatum enim propriè dictum est aliquo modo voluntarium ; voluerunt in Adamo : nam in eo peccaverunt.

Voluntate Adami quæ voluntatem posterorum repræsentabat : Alioquin, ut jàm diximus, peccatum Adæ fuisset individuale tantùm, non verò peccatum naturæ humanæ.

Non naturaliter quidem : Alioquin omnia peccata omnium parentum posteris transfunderentur, quod ab omnibus rejicitur.

Sed vi decreti positivi, quod sic explicari potest : 1° Deus potuit instituere primum hominem caput totius posteritatis suæ quoàd vitam spiritualem, ità ut generi humano conservatio aut amissio vitæ spiritualis à voluntate protoparentis penderet. Illud enim nec potestati, nec justitiæ, nec bonitati divinæ repugnat. 1. Non potestati et justitiæ : homo enim sponte suâ et absque injustitiâ voluntatem propriam in voluntatem alterius transferre potest, ut quod ille voluerit, id se velle profiteatur. Ergo à fortiori Deus voluntatem posterorum in voluntatem protoparentis transferre potuit, ut quod *vellet* protoparens vellent posteri ; siquidem jus Dei in voluntatem humanam est strictius quàm jus hominis ipsius. 2. Non bonitati : illud enim pactum cedebat in commodum generis humani ; siquidem, ex unâ parte, Deus Adamum donaverat innocentis naturæ privilegiis, per quæ magis ad obediendum quàm ad peccandum idoneus erat ; ex alterâ parte, unum tantùm ac levissimum præceptum imposuerat Adamo tanquàm capiti generis humani. 2° Reverà Deus positivè constituit Adamum caput generis humani quoàd vitam spiritualem,

et ipsi sub eà qualitate imposuit præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni et mali, ut suprà vidimus; proindè in violatione hujus præcepti voluntas Adami repræsentabat voluntatem posterorum, qui sic dici possunt voluisse violationem hujus præcepti in voluntate protoparentis.

2° Si peccatum originale consideretur quatenùs *est habituale*: Fuit voluntarium in eodem sensu in quo voluntarium fuit sub respectu actuali; siquidem, ut jàm diximus, peccatum habituale est peccatum actuale cum proprietatibus suis perseverans (1).

(1) « Alii multi, inquit DD. Bouvier (tract. *de Peccatis*, p. 2, c. 1, » art. 2, n. 6), naturam peccati originalis sic explicant: Ab initio » Adam constitutus fuerat in justitiâ originali, gratiâ sanctificante » et aliis donis indebitis instructus. Hæc omnia, ex ordinatione » divinâ, fidelitate suâ sibimetipsi servare posterisque transmittere » debebat, sed, peccando, et sibi et illis amisit, ipse peccati actualis » reus et simul omnibus donis supradictis privatus, posteri vero in » eâ privatione tantum constituti, quæ dicitur peccatum originale » quia peccato oritur et quia, cùm ordinationi Dei ejusque bonitatis » consiliis adeò adversetur, omnes homines illius oculis odibiles » facit indignosque supernaturali felicitate ipsis destinatâ. »

Inter recentiores hujus sententiæ fautores præcipuè eminet P. Perrone, qui eam propugnat in suis *Prælectionibus theologicis* in Collegio Romano habitis. Ad intelligentiam hujus sententiæ, sequentia excerpimus è tractatu prædicti auctoris *de Deo creatore*, part. 3, c. 4, in quo agitur *de Peccati originalis propagatione*.

« Ad germanum quæstionis statum cognoscendum juverit præ» mittere, 1° non esse permiscendum dogma de originalis peccati » *existentia* et propagatione cum propagationis *modo*. Illud enim de » fide est, iste vero non item. 2° Non esse pariter permiscendam » controversiam de existentia cum *natura et essentia* originalis pec» cati. Circa ejusmodi peccati essentiam seu naturam plures vigue» runt discrepantes sententiæ non solum inter catholicos et protes» tantes, sed etiam inter catholicos ad invicem...

» Nos, ut fundamentum dicendorum constituamus, subjicimus

III. De Transmissione.— *Quomodò traducatur peccatum originale?*

Resp. Traducitur per generationem activam: *Humana natura traducitur à parente in filium per traductionem carnis cui postmodùm anima infunditur*, inquit

» concilii Tridentini canones sess. 5, in quibus catholica veritas de » natura et propagatione originalis noxæ traditur. Can. 1°. *Si quis » non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei » in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, » in qua constitutus fuerat, amisisse; incurrisseque per offensam » prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque » ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum » morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit » imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius » commutatum fuisse; anathema sit.*

» Can. 2°. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et non ejus » propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et jus» titiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse; » aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem et pœ» nas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, » non autem et peccatum, quod est mors animæ; anath. sit.*

» Can. 3°. *Si quis Adæ peccatum quod origine unum est, et » propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest uni» cuique proprium... per aliud remedium asserit tolli, quam per » meritum... Jesu Christi...; anath. sit.*

» Can. 4°. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizan» dos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit » in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex » Adam trahere originalis peccati...; anath. sit.*

» Can. 5°. *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in baptismate » confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam » asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati ra» tionem habet...; anath. sit.*

» Ex his colligimus 1° reatum culpæ, quatenus ab Adæ actione » provenit, in omnes ejus posteros transfundi, fierique uniuscujusque » proprium; 2° hunc reatum in quo tota ratio, seu *formalitas* con» sistit peccati originalis, non aliud esse nisi *mortem animæ*. Adeo-

D. Thomas. Porro natura humana communicata per generationem activam est privata justitià originali, privatione nobis voluntarià in Adamo; proindè cum naturà humanà per generationem transfunditur peccatum originale.

» que naturam seu essentiam hujus peccati prout *actionem dicit*,
» seu ut peccatum *actuale* est, esse ipsum peccatum personale Adæ,
» quatenus caput erat totius humanæ naturæ; prout vero *reatum*
» dicit, seu *habituale* in Adæ posteris est, consistere in *privatione*
» (non simplici *carentia* rei indebitæ) gratiæ sanctificantis et jus-
» titiæ *quæ nobis inesse deberet* juxta ordinem a Deo constitutum;
» hâc privatione fit, ut nos vere peccatores simus, filii iræ, Dei
» inimici, et habitualiter, saltem negative, a Deo aversi. Hinc S.
» Thomas, 1, 2, q. 82, art. 3, aperte scribit : *Sic ergo privatio*
» *originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est for-*
» *male in peccato originali ;* 3° colligimus mortem, concupiscentiam,
» morbos, ad malum pronitatem aliaque ejusmodi, non esse nisi
» peccati originalis *effectus*, appendices seu pœnas. »

Probatà contra hæreticos existentià et propagatione originalis peccati, P. Perrone adversus incredulos sequenti modo ostendit *dogma de propagatione peccati originalis nullo modo rationi adversari.*

« Præter generale principium, quo saltem *indirecte* veritas pro-
» positionis adstruitur, non posse videlicet fieri, ut quæ divinitus
» revelata sunt rectæ adversentur rationi, sic *directe* etiam id ipsum
» conficimus.

» Ex dictis formalis ratio, seu natura ac essentia peccati originalis
» in sola consistit *justitiæ originalis privatione*, ac precise gratiæ
» sanctificantis qua Deus gratuito elevavit primum hominem ad sta-
» tum supernaturalem, et dilectum, amicum, imo et filium suum
» adoptione fecit. Huic gratiæ adnexa erant cætera dona integritatis,
» immortalitatis, scientiæ, etc., quæ quidem dona in sua conserva-
» tione pendebant à conservatione gratiæ. Ejusmodi elevatio una
» cum recensitis donis ex Dei ordinatione erant veluti ipsius na-
» turæ dos et ornamentum; si proinde illam Adam Deo obse-
» quendo conservasset, universum genus humanum ab eo pro-
» pagandum iisdem muneribus fuisset auctum, quæ naturæ super-
» addita fuerant. Ast Adam mandatum sibi datum transgressus est,

IV. De Exceptionibus. — Immunes fuerunt à peccato originali Christus, B. V. Maria. Quæritur 1° quare Christus, 2° quomodo B. Virgo immunis fuerit à peccato originali?

» et transgrediendo graviter peccavit, privavitque proinde se gratia » illa et, quod consequens est, universam posteritatem suam, quæ » gratia supernaturali privata peccatrix effecta est; et spoliata » pariter cæteris donis quæ illam comitabantur. Hoc porro est, » quod dicitur peccati originalis propagatio, quatenus singula indi- » vidua ex Adam progenita nascuntur privata originali justitia, quæ » ipsis ex Dei ordinatione inesse deberet, et qua solum debebant » esse Deo accepta. Prout vero justitiæ originalis nomine significa- » tur gratia sanctificans, ejus privatio rationem habet peccati, seu » reatus aut maculæ, quæ per modum habitus sequitur ipsam pec- » cati actionem, sive actum ipsum peccati, quo fit ut Adæ posteri » nascantur a Deo aversi, filii iræ, peccatores damnationi obnoxii; » prout vero justitiæ originalis nomine complexio significatur cæte- » rorum donorum, illius privatio efficit, ut Adæ posteri nascantur » cum concupiscentiæ inordinatione, mortales, ignorantiæ et dolo- » ribus addicti, quæ sunt totidem *pœnæ et effectus* peccati illius, » seu prioris privationis.

» Totam hanc doctrinam paucis ac dilucide expressit S. Ansel- » mus, in lib. *de Concept. Virgin. et Peccato origin.*, c. 23, scri- » bens: *Quod in illis* (infantibus) *non est justitia, quam debent » habere, non hoc fecit illorum voluntas personalis sicut in Adam, » sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam.... » spoliavit persona naturam bono justitiæ in Adam; et natura » egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem » egestate peccatrices et injustas facit.* Et c. 27: *Hoc peccatum, » quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infanti- » bus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam » Adæ justitiæ debitæ nuditatem.* Nec minus luculenter S. Thomas, » in *Sent.* II, dist. 30, q. 1, art. 2, idipsum docuit: *Dicendum*, » scribit, *quod defectus illius originalis justitiæ, quæ homini in » sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit, et » sicut illud naturæ donum fuit, et fuisset in totam naturam » propagatum, homine in justitia persistente, ita etiam et priva- » tio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio*

Ad 1um scilicet : *Quare Christus fuerit immunis?*

Resp. Christus immunis fuit, ut jàm diximus, quia 1° non natus est ex semine Adami, sed ex Spiritu sancto; quia 2° repugnat Hominem-Deum peccato maculari.

Ad 2um scilicet : *Quomodo B. Virgo fuerit immunis à peccato originali?*

Resp. Duplex est opinio. *Prima* affirmat B. Virginem à lege Ádamo impositâ fuisse exceptam ; proindè eam non contraxisse peccatum originale, nisi quoàd *debitum remotum*. Consistit debitum remotum in eo quòd B.

» *et vitium naturæ; ad idem enim genus privatio et habitus » referuntur. Et in quolibet homine rationem culpæ habet ex hoc, » quod per voluntatem principii naturæ, id est, primi hominis » inductus est talis defectus.*

» Ex his inferimus cum Cajetano, *Comment.* in 1, 2, q. 100, art. 2, » S. Th. Dom. Soto, *de Nat. et Grat.*, l. 1, c. 19; Bellarmino, *de » Grat. primi hominis*, lib. 1, c. 5, § 12, illud intercedere discri» men inter hominem quem Deus condidisset in statu puræ naturæ, » et hominem lapsum, quod attinet ad collationem gratiæ et adnexa » ipsi dona, quale est inter hominem nudum et spoliatum, adeoque » nullum, in essentialibus saltem, detrimentum in se naturam ex » Adæ peccato passam esse. Voces propterea *corruptionis*, *vulne» ris*, etc., sunt relativæ ad statum ex quo primus homo decidit.

» Quibus præmissis, sic jam perstringimus incredulos ac rationa» listas, qui adversàri rectæ rationi autumant dogma de peccati » originalis propagatione. Si qua esset repugnantia, hæc haberetur » aut ratione *sui*, aut ratione *modi*; neutrum porro dici potest. » Non ratione sui, nulla siquidem repugnantia est quod natura ex » culpa privetur re indebita, cujusmodi est gratia et dona quæ eam » comitabantur: Deus enim ex pura sua liberalitate gratiam seu » justitiam originalem superaddidit naturæ. Non ratione modi; » nam cum peccatum originale ex dictis in sua ratione formali con» sistat in *privatione*, nulla concipi potest repugnantia quod homo, » qui per peccatum suum personale privatus justitia originali est, » non amplius posteris communicet quod in se non habet. Ergo.

Virgo, orta ex semine Adami, debuisset includi in pacto cum Adamo inito, nisi Deus speciali privilegio cum ipsâ dispensâsset. Excepta autem fuit ratione dignitatis suæ, tanquàm Mater Redemptoris, et vi meritorum Christi: atque illud sufficit ut B. Virgo dicatur à Christo redempta. *Secunda* negat B. Virginem fuisse à lege exceptam; affirmat proindè eam contraxisse quoàd *debitum proximum* peccatum originale à quo speciali privilegio Dei fuit immunis. Sequentibus rationibus nititur: 1º Si B. Virgo fuisset excepta à lege hominibus in Adamo impositâ, nullo modo dici posset peccatum originale contraxisse. Porro hoc falsum est, siquidem, ex Scripturâ, omnes concepti ex semine Adam in Adamo aliquo modo peccaverunt. 2º Si B. Virgo à peccato originali absolutè et in omni sensu fuisset immunis, non posset dici à Christo redempta. Porro tamen, ex I Cor. 15, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ità et in Christo omnes vivificabuntur* (1).

§ III. — De effectibus peccati protoparentum, peccati originalis.

Protoparentes per peccatum suum, eorum posteri per peccatum originale, amiserunt privilegia statûs innocentiæ

I. Essentialia:

I. De amissione *gratiæ sanctificantis, juris ad gratias actuales*, nihil speciale dicendum.

(1) Circa *primam* opin. vid. specialiter Wirceburgenses, *de peccat.* disp. 3, c. 3, *quær.* post art. 3; hanc etiam propugnant nonnulli recentiores. Pro *secundâ* stant plerique veteres, inter quos Vasquez, Suarez, Bellarminus, *de amis. grat.* l. 4, c. 15.

II. De amissione *juris ad finem supernaturalem* quæritur 1° de protoparentibus : utrùm hæc amissio fuerit ipsis irreparabilis ; seu, quod idem est, utrùm peccati sui veniam consequi potuerint, consecuti fuerint, imò vitam æternam obtinuerint ; 2° de posteris : quonam sensu intelligenda sit amissio finis, seu damnatio ex solo peccato originali orta, seu damnatio infantium in solo peccato originali decedentium ?

Quæst. 1ª de protoparentibus : *Utrùm amissio juris ad finem supernaturalem fuerit ipsis irreparabilis ; seu utrùm 1. peccati sui veniam consequi potuerint, 2. consecuti fuerint, 3. vitam æternam obtinuerint ?*

Ad 1ªᵐ quæst. part. *resp.* Protoparentes potuerunt peccati veniam obtinere et quoàd culpam, et quoàd pœnam æternam ; imò quoàd pœnam temporalem in alterà vità subeundam ; non verò, secundum ordinationem divinam, quoàd pœnas temporales hujus vitæ.

Quoàd culpam : Nam 1° infrà probabitur culpam ipsis remissam fuisse. 2° Vera propositio, si protoparentes non fuerint de se pœnitentiæ incapaces ; si Deus, salvis attributis, potuerit eis concedere gratiam pœnitentiæ, et, positâ pœnitentiâ, peccatorum veniam : porro hæc tria sunt evidentia. 3° Textus Scripturæ de possibilitate et efficaciâ pœnitentiæ sunt universales ; ergo protoparentes sicut eorum posteritatem spectant.

Quoàd pœnam æternam : Remissâ enim culpâ, remittitur pœna æterna.

Quoàd pœnam temporalem alterius vitæ : Leges enim vi quarum posteri obtinent veniam pœnæ temporalis in alterâ vitâ subeundæ sunt generales; applicari proindè potuerunt protoparentibus.

Non verò, secundum Dei ordinationem, quoàd pœnas temporales in hâc vitâ subeundas: Deus equidem potuisset absolutè loquendo has pœnas reddere remissibiles; illas autem irremissibiles constituit. Ista enim lex Dei: *in quâcumque die comederis ex eo, morte morieris*, fuit absoluta.

Ad 2am q. part. *resp*. Protoparentes veniam obtinuerunt. Sap. 10, 1 et 2: *Hæc* (sapientia) *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, et eduxit illum à delicto suo.*

Ad 3am q. part. *resp*. Protoparentes obtinuerunt vitam æternam, et opinio contradictoria erronea censenda est.

Pr. 1a. Vera propositio, si de illâ consentiat ferè unanimiter Ecclesia: atqui res ità est, testante S. Augustino. De primis parentibus ait: *Post peccatum justè vivendo, meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati*. Ex hoc textu, *creduntur* (proindè fide, et non opinione tantùm admittuntur) *ab extremo supplicio* (non à peccato tantùm) *liberati.*

Pr. 2a. Propositionem docent plerique SS. Patres.

Quæst. 2a de posteris: *Quonam sensu intelligenda sit amissio finis, seu damnatio ex solo originali, seu damnatio infantium in solo peccato originali decedentium?*

Resp. Quædam certa, quædam controversa.

Certum est infantes in solo peccato originali decedentes damnari, in eo saltem sensu quòd priventur visione intuitivâ. Hanc propositionem suprà probavimus.

Controvertitur autem 1o utrùm ex privatione visionis

intuitivæ dolorem et tristitiam patiantur ; 2° utrùm pœnam sensûs subituri sint ; 3° utrùm perfruantur aliquâ beatitudine naturali.

De 1ᵃ controversiâ duplex opinio.

Prima affirmat infantes in peccato originali decedentes dolorem animi habituros ex privatione visionis intuitivæ (1). His rationibus nititur : 1° Sciunt *isti infantes* se ad visionem intuitivam destinatos fuisse, nec ad eam pervenire posse : porro ex hâc cognitione necessariò aliquis dolor oriri debet. 2° Multi SS. Patres hanc opinionem amplexi sunt. 3° Hæc ait Concil. Florentinum : *Credimus illorum animas qui in mortali peccato, vel cum solo originali decederint, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

Cæterùm, inquiunt hujus sententiæ sectatores, hic dolor levissimus est, tùm quia infantes de quibus agitur dispositionem ad beatitudinem remotissimam tantùm habuerunt ; tùm quia cognoscunt se absque propriâ negligentiâ tantum bonum amisisse ; tùm quia cognoscunt pœnas damnatorum, ad quorum sortem pertinere potuissent, si diutiùs vivere ipsis contigisset.

Secunda opinio negat infantes prædictos ex amissione visionis intuitivæ pœnam habituros (2). Nam 1° fidem non habent, cùm baptismum non receperint. Ergo non cognoscunt se ad visionem intuitivam fuisse destinatos ; ergo de ejus amissione dolere non possunt : ignoti enim nullà cupido, et de ejus amissione nullus dolor. 2° In-

(1) Ità, inter alios, Bellarmin. *de amis. grat.* l. 6, c. 6 ; Sylvius in 1am 2ae, q. 85, art. 6.

(2) Ità D. Thomas, quæst. 5 *de Malo*, art. 1, 2, 3 ; et in 2 sentent. dist. 33 ; atque post ipsum multi scholastici.

fantes prædicti ad statum supernaturalem nunquàm elevati sunt; ergo nunquàm fuerunt visionis intuitivæ capaces; ergo de ejus privatione dolere non possunt. Homo enim rectæ rationis dolere non potest de privatione alicujus boni ad quod nullam capacitatem habet, v. g. nullus sapiens dolet eo quod non possit volare sicut avis: porro prædicti infantes rectâ ratione donantur. 3° Contra nostram opinionem, inquiunt hujus sententiæ sectatores, nihil sequitur ex Conc. Florentino suprà citato; siquidem hæc verba: *pœnis disparibus*, possunt intelligi de privatione visionis intuitivæ, beatitudinisque naturalis, juxta multos theologos.

Hæc *secunda* opinio videtur saltem ab intrinseco probabilior.

De 2ª controversiâ, scilicet: *Utrùm infantes in solo peccato originali decedentes pœnam sensûs subituri sint?* — duplex opinio.

Prima affirmat hos infantes puniendos esse iisdem pœnis, quamvis disparibus, quibus puniuntur ii qui peccata actualia commiserunt. Peccatum enim originale est peccatum propriè dictum, easdem proindè ac peccata actualia meretur pœnas (1).

Secunda, communior et probabilior, negat, his probationibus nixa: 1° Ratione. 1. Nemo punitur pœnâ positivâ ac sensibili propter habitualem pronitatem ad vitium, sed tantùm propter culpam actualem commissam per voluntatem personalem; ergo nullam pœnam positivam meretur peccatum originale per voluntatem

(1) Ità Gregor. Arim., Petavius, Noris, Sylvius in 1am 2ae, q. 85, art. 6, quær. 2; etc.

ulterius et in nobis per modum habitûs existens. 2. In Ecclesiâ nulla injungitur satisfactio pœnalis hominibus baptizandis, quamvis adultis; porro tamen Ecclesia probabilissimè exigeret satisfactionem, si aliqua pœna positiva peccato originali deberetur. 2° Ex SS. Patribus, hanc opinionem exprimunt S. Gregorius Nazianzenus, orat. 40; S. Gregorius Nyssenus, orat. de *infantibus* immaturâ morte sublatis; S. Bernardus, serm. 3 de resurrect. 3° Ex Innocentio III: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus* (1).

De 3ª controversiâ, scilicet: *Utrùm prædicti infantes perfruantur aliquâ beatitudine naturali?* — duplex etiam opinio.

Prima affirmat infantes, de quibus agitur, naturali beatitudine frui in alterâ vitâ. Nam infantes cum peccato originali decedentes avertuntur quidem à Deo tanquàm fine supernaturali, non verò à Deo fine naturali. Possunt proindè Deo frui sub posteriori respectu, habere proindè beatitudinem naturalem, quæ consistit in unione cum Deo fine naturali. Ità Catharinus, cardin. Sfondratus, et quidam alii.

Secunda, multò communior et probabilior, negat. Quicumque enim peccat contra Deum sub respectu supernaturali consideratum, eo ipso peccat contra Deum sub respectu naturali. Ergo homo, cui infunditur habitualiter peccatum Adami, avertitur à Deo, fine non sò-

(1) Ità D. Thomas, *Comment. in sentent.* l. 2, dist. 33; et *Sum.* 3 p. q. 1, art. 4 ad 2; Bellarminus, *de amis. grat.* l. 6, c. 4; Suarez, et in genere scholarum principes.

lùm supernaturali, sed etiam naturali. Ergo, quamdiù manet peccatum, homo non potest uniri Deo nequidem tanquàm fini naturali, nec proindè frui beatitudine naturali (1).

(1) De hàc ultimâ controversiâ hæc habet P. Perrone, part. 3, c. 6: « Ast circa hanc damni pœnam theologi minime inter se conveniunt; siquidem alii cum Bellarmino existimant infantulos ex privatione visionis Dei aliqua affici tristitia; alii vero cum S. Thoma id aperte inficiantur; alii demum cum Catharino, et card. Sfondrati censent eosdem aliqua naturali beatitudine frui, nunc quidem quoad animam, post resurrectionem vero etiam quoad corpus, et eo usque rem protrahunt, ut felicitatis hujus gradus determinent accuratissime, quemadmodum card. Norisius determinavit gradus caloris quos ab igne infantes isti patiuntur et sentiunt. Bellarminus sententiam, quæ tribuit infantibus non baptizatis beatitudinem naturalem, fidei adversari autumat; contra vero Petrus Godoy Ord. Præd.: *Sententia*, inquit, *concedens parvulis naturalem beatitudinem nullam censuram contra fidem meretur*, imo et alienam eam esse affirmat ab omni temeritatis nota.

» Ex hac discrepantia sententiarum, quæ inter Patres ac theologos viget, patet, si duos commemoratos articulos excipias de exclusione a gloria, ac disparitate pœnarum, reliqua omnia ad fidem nullo modo spectare, adeoque posse quemlibet circa ejusmodi sententias in suo sensu abundare. Nec obest pelagianos parvulis naturalem tribuisse beatitudinem, nam etiam hoc dato, licet alii contendant *supernaturalem* eam tribuisse, attamen nihil haberet commune pelagianorum commentum cum doctrina, quam catholici theologi tuentur de naturali istorum parvulorum beatitudine. Etenim pelagiani eam concedebant parvulis *sine morte peccati*, adeòque uti naturalem conditionem, non autem sub ratione *pœnæ* ac *damnationis* provenientis ex peccato originali quod negabant, contra vero catholici theologi eam tuentur *cum morte peccati*; ita ut exclusio à visione beatifica rationem habeat *pœnæ* et *damnationis* ex peccato provenientis. Quapropter merito a Pio VI in Const. *Auctorem fidei* proscripta est synodi Pistoriensis propositio 26, quæ ita se habet: *Doctrina, quæ velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium*

II. Accidentalia.— I. Intrinseca, scilicet :

I. Intelligentiæ.—*Quomodò protoparentes scientiam et incapacitatem erroris amiserint?*

Resp. 1° Amiserunt scientiam supernaturalem, seu

» *cum sola originali culpa, pœnas damni citra pœnam ignis pu-*
» *niantur, perinde ac si hoc ipso quod qui pœnam ignis remo-*
» *vent, inducerent locum illum et statum medium, expertem*
» *culpæ et pœnæ, inter regnum Dei, et damnationem æternam,*
» *qualem fabulabantur pelagiani, falsa, temeraria, in scholas*
» *catholicas injuriosa*, declaratur.

» Itaque si status istorum parvulorum *relative* spectetur ad super-
» naturalem beatitudinem, a qua per originale peccatum excide-
» runt, habet rationem pœnæ ac damnationis, et sunt ejusmodi in-
» fantes a Deo saltem negative aversi, etc. Si autem spectetur *in*
» *se* et *absolute*, cum per peccatum homines nihil de naturalibus
» amiserint, talis est istorum parvulorum conditio, qualis fuisset,
» si Adam neque peccasset, neque elevatus ad statum supernatu-
» ralem fuisset, seu in conditione puræ naturæ. Hinc S. Thomas, in
» 2 *Sent.*, *dist.* 33, q. 2, art. 2, ad 3, de ejusmodi infantibus scri-
» bit : *Sibi* (Deo) *junguntur per participationem naturalium*
» *bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cog-*
» *nitione et dilectione.*

» Angelicus igitur Doctor, prout jamdiu animadverterant De
» Lemos ac Billuart, his parvulis tribuit bona naturalia, et aliquem
» naturalem Dei amorem et gaudium. Nullo vero modo eos pœna
» sensus affici fuse ostendit, loc. cit., diluitque difficultates desump-
» tas ex Matth. XXV, et ex vocibus *supplicii*, *tormenti*, *gehennæ*,
» *cruciatus æterni*, quibus post Augustinum auctor *Hypognostici*,
» Fulgentius et Gregorius M. usi sunt. Nam Christi judicium *discus-*
» *sionis* ostendit neque pertinere ad hos infantes, neque ad infide-
» les, in quibus fides non fuit fundamentum meritorum ; citatos vero
» auctores *large* illas voces accepisse pro pœna, et *speciem* pro
» genere posuisse.

» Deinde in quæst. 5, *de Malo*, ostendit eosdem parvulos ex
» amissa beatitudine supernaturali, nulla affici tristitia, tum quia in-
» debitam sibi esse cognoscunt illam beatitudinem ob Adæ pecca-
» tum contractum, tum quia etsi perspicuum habeant se ad aliquam
» beatitudinem conditos fuisse, minime cognoscunt hanc positam

fidem, per peccatum infidelitatis in primâ culpâ inclusum. Attamen potuerunt recuperare fidem, et facto recuperaverunt, ut constat ex suprà dictis de pœnitentiâ Adami.

2° Scientia naturalis, ut diximus in probatione, fuit attenuata; quia post peccatum aggravata est anima per corpus; quia homo ad laborem corporeum damnatus, ad terrena necessariò inclinatus, ad spiritualia difficiliùs assurgere poterat.

3° Factus est capax erroris per amissionem rectitudinis.

II. Voluntatis. — *Quonam sensu intelligendæ sint, sive quoàd Adamum, sive quoàd posteros, amissio rectitudinis, seu justitiæ originalis, imminutio libertatis, subjectio erga diabolum è peccato protoparentis orta?*

Resp. Quædam certa, quædam controversa.

Certa. 1° Per peccatum Adamus ejusque posteritas amiserunt justitiam originalem in sensu suprà explicato, scilicet: submissionem voluntatis erga Deum,

» esse *in visione clara Dei*, adeoque ignorant *se ab illa exclusos,* » *nec proinde dolent*, sed hoc, quod per naturam habent, sine » dolore possident.

» Quidquid porro de his placitis sit, quæ salva fide ac sine quavis » temeritatis nota quilibet tenere potest, hoc lucri ex tali senten- » tiarum discrepantia habemus, non deberi nec posse Ecclesiæ doc- » trinam cum privatorum placitis permisceri. Pessime igitur se » gerunt increduli cum fidei aut Ecclesiæ tribuunt doctrinam, quæ » Ecclesiæ non est, ut inde inferant catholicam Ecclesiam docere » dogmata, ut ipsi vocant, horribilia ac rectæ rationi repugnantia. » Tantum enim abest, ut Ecclesia voluerit illas sententias sancire, » ut potius summus Pontifex eos damnaverit qui notam inusserunt » illorum doctrinæ, qui pœnam sensus ab ejusmodi infantibus re- » movent. »

quæ in animâ existebat per gratiam sanctificantem charitatemque ipsi annexam, submissionem partis animæ inferioris erga voluntatem, submissionem corporis erga animam, quæ gratuitò et supernaturaliter à Deo homini concessæ fuerant.

2º Liberum hominis arbitrium fuit imminutum, ab intrinseco, in eo sensu quòd vires ipsius ad *vitandum* malum, ad bonum operandum, imminutæ fuerint per amissionem justitiæ originalis; ab extrinseco, per submissionem diabolo.

3º Homo incurrit captivitatem sub potestate diaboli in duplici sensu: 1. in eo sensu quòd, ante peccatum obnoxius tentationi diaboli tantùm exteriori, evaserit subjectus tentationi interiori in sensu suprà explicato; 2. in eo sensu quòd peccando factus fuerit reus pœnæ æternæ, ac subindè sub jure diaboli constitutus.

Controvertitur autem utrùm Adamus et posteri per peccatum facti fuerint debiliores ad malum *vitandum*, ad bonum operandum, quàm fuissent in statu naturæ puræ.

Resp. Vel agitur de debilitate intrinsecâ, vel de debilitate extrinsecâ:

1º Si de *debilitate intrinsecâ:* — Duplex opinio.

Prima affirmat hominem per peccatum factum fuisse debiliorem quàm fuisset in statu naturæ puræ; seu, quod idem est, hominem per peccatum fuisse non solùm spoliatum donis gratuitis, sed etiam in naturalibus vulneratum (1). — His rationibus nititur: 1. Juxta Con-

(1) Ità Navarr. l. 4, q. 9; Alvar. l. 6, disp. 45 et 47; Tournely, *de grat.* q. 4, art. 4; Contenson et plures recentiores.

cil. Tridentinum, homo fuit per peccatum *in deterius commutatus;* juxta multos Patres, *vulneratus*. Porrò nec commutatus, nec vulneratus dici posset, si privatus fuisset tantùm donis supernaturalibus. 2. Peccatum actuale naturaliter inclinat hominem ad malum, etiam in ordine naturali : à pari peccatum originale, quod est peccati protoparentis continuatio. Vehementior proindè facta est concupiscentia Adami et posterorum quàm fuisset in statu naturæ puræ qui peccatum excludit. 3. Homo per peccatum avertitur à fine ultimo, non tantùm supernaturali, sed etiam naturali : ergo per peccatum factus est minùs inclinatus ad finem, debilior proindè ad operandum bonum. 4. In statu naturæ puræ, homo naturaliter potuisset diligere super omnia Deum prout auctorem naturæ, vincere gravem tentationem ; porro post lapsum hæc non potest.

Secunda opinio negat hominem factum fuisse intrinsecè debiliorem, seu in naturalibus vulneratum ; admittit tantummodò eum fuisse donis gratuitis spoliatum.—Hæc opinio, priori probabilior, sic probatur :

1. Si homo in naturalibus vulneratus fuisset, vel per ablationem alicujus perfectionis, vel per additionem alicujus realis qualitatis quæ naturam ad malum impelleret. Atqui 1. non per ablationem alicujus perfectionis : siquidem anima ejusque perfectiones sunt indivisibiles, proindè non possunt minui. 2. Non per additionem: hæc enim qualitas vel nullam haberet causam, vel crearetur à Deo, vel causâ à Deo distinctâ : atqui neutrum dici potest. Non primum : quidquid enim est reale causam realem exigit. Non secundum : siquidem, in hâc hypothesi, Deus crearet qualitatem ad malum ex naturâ

suâ impellentem, quod repugnat ipsius sanctitati. Non tertium: nam Deus solus est creator omnium quæ realia sunt.

2. Concilia et SS. Patres mutationem per peccatum in naturâ inductam attribuunt tantùm amissioni justitiæ originalis, non verò vulnerationi hominis in naturalibus. Sic Concilium Tridentinum mutationem *illam et* vulnerationem naturæ exponit dicendo *primum hominem Adam, cùm mandatum Domini in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in quâ constitutus fuerat amisisse... et secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.*

3. Hæc est communior theologorum opinio, maximè inter veteres (1).

4. Si admittenda foret prima opinio, maximè ob rationes suprà expositas: porro nullæ sunt. 1ª quidem: Concilia enim et Patres ideò dicunt hominem esse vulneratum, quia per peccatum privatus est justitiâ *originali*, non verò quia vires ipsius naturales diminutæ sunt per substractionem perfectionis aut additionem qualitatis realis ad peccatum inducentis. 2ª et 3ª: Peccatum enim minueret quidem vires hominis naturales ad bonum, seu illum vulneraret in naturalibus, si produceret in homine habitum activum inducentem ad peccatum; non verò si habitus, per peccatum actuale Adami et originale posterorum creatus, sit tantùm perseverantia aversionis à Deo. Atqui hoc verum est de peccato Adami, quod fuit unicum et incapax produ-

(1) Ità D. Thom. 1 p. q. 95, art. 1; Scot. in 2, dist. 29; Cajetan.; Suarez, *de grat.* proleg. 4, c. 8; Bellarm. *de grat. et lib. arbitr.* l. 3; etc.

cendi per se habitum activè inclinantem ad malum ; à fortiori de peccato originali quod voluntate propriâ non fuit commissum. 4a: Affirmat enim vires hominis naturales debiliores fuisse post lapsum quàm in statu naturæ puræ. Atqui hoc contradicit theologorum opinioni ; siquidem theologi qui admittunt possibilitatem naturalem diligendi Deum super omnia in statu naturæ puræ, illam quoque admittunt quoàd statum naturæ lapsæ ; illi autem qui eam negant de statu naturæ lapsæ, eam pariter negant de statu naturæ puræ.

2° Si agatur de *debilitate extrinsecâ :* — Duplex etiam opinio.

Prima affirmat hominem per peccatum factum fuisse debiliorem ab extrinseco quàm fuisset in statu naturæ puræ ; quia 1. homo in statu naturæ puræ habuisset ad vitandum malum, ad bonum operandum, præter vires intrinsecas, auxilium actuale ordinis naturalis quo privatus est in pœnam peccati ; quia 2. in statu naturæ puræ homo non fuisset subjectus diabolo, in cujus captivitatem fuit redactus per peccatum (1).

Secunda negat hominem ab extrinseco per peccatum factum fuisse debiliorem. Si debilior factus fuisset : vel privatione auxilii naturalis, vel impugnatione diaboli. Atqui neutrum dici potest.

Non privatione auxilii naturalis : Nam 1. id affirmare non possunt adversarii. Equidem homo per peccatum hanc privationem meritus erat ; sed indè non sequitur illum hanc privationem subiisse. Sic per peccatum factus fuerat reus damnatione actuali et multis aliis pœnis

(1) Ità, inter plures, Wirceburgenses.

quæ ipsi irrogatæ non fuerunt. Probandum proindè foret rationibus positivis hominem privatum fuisse auxilio naturali de quo agitur. Porro hæc privatio probari non potest. Deus, utpotè sapiens, media facultatibus accommodat; porro facultates naturales homini peccatori conservavit; censetur proindè ipsi auxilium naturale conservâsse.

Non impugnatione diaboli: Saltem hæc propositio absque ratione affirmaretur. Dubium est enim utrùm homo in statu naturæ puræ à dæmonio tentatus fuisset; et, in hypothesi affirmativâ, utrùm auxilia ad resistendum ipsi concessa in statu naturæ puræ magìs valida fuissent quàm in statu naturæ lapsæ.

III. Corporis. — *Quomodò post peccatum homo factus fuerit subjectus morbo et morti?*

Resp. Post peccatum factus est subjectus morbo et morti merâ privatione mediorum quibus, in statu innocentiæ, supernaturaliter præservabatur: siquidem homo, ut probatum est ubi *de Statibus*, morbo et morti naturâ suâ subjectus, ab his malis factus fuerat immunis supernaturaliter per sola media prædicta.

II. Extrinseca, scilicet:

I. Dominium in res inferiores. — *Quo dominio in res inferiores privatus fuerit Adam: an dominio facti; an dominio juris tantùm; an utroque?*

Resp. Non dominio juris, ex omnium consensu; sed dominio facti, ut experientiâ constat.

II. De *habitatione in Paradiso*, nihil explicandum.

II.

OSTENDUNTUR RELATIONES PROPOSITIONUM.

Veritatum sub titulo præsenti expositarum relationes, sive cum veritatibus tituli præcedentis, sive inter se, sequentium serie propositionum exprimi possunt.

In titulo præcedenti diximus : ex elementis essentialibus statûs innocentiæ, speciatim ex gratiâ sanctificante, pendere elementa accidentalia ejusdem statûs Adamo et posteritati concessa.

Porro gratia sanctificans, proindè alia statûs innocentiæ privilegia, per peccatum amitti potuerunt ; proindè lapsus generis humani in statum inferiorem à peccato Adami et posteritatis pendebat.

In titulo præsenti probavimus Adamum et, in Adamo capite, omne genus humanum peccavisse. Undè homines à Deo aversi amiserunt gratiam sanctificantem, et, cum gratiâ sanctificante, alia statûs innocentiæ elementa essentialia, scilicet jus ad finem supernaturalem et ad gratias actuales.

Atqui, positâ institutione divinâ, perditis elementis essentialibus, necessariò amittere debebant elementa statûs innocentiæ accidentalia — *intrinseca :* fieri proindè quoàd intellectum, capaces ignorantiæ et erroris ; quoàd voluntatem, concupiscentiæ subjecti ; quoàd liberum arbitrium, attenuati ; quoàd corpus, morti et morbo obnoxii ; — *extrinseca :* proindè amittere dominium facti in res inferiores, ex Paradiso ejici.

ACTUS TERTIUS.

DEUS REPARAT HOMINEM PER CHRISTUM.

Hominem liberè lapsum Deus poterat non redimere; sed, misericordià motus, statìm post peccatum protoparentum, generi humano promisit reparatorem.

Cùm autem Deus disponat omnia suaviter, et opera sua in ordine sive naturali, sive supernaturali, sensìm sine sensu perficiat; debuit reparationem præparare, deindè præparatam adimplere.

Dicendum proindè 1° de reparatione *præparatâ*, 2° de reparatione *adimpletâ*.

I.

DE REPARATIONE PRÆPARATA.

Deus reparationem præparavit per seriem actuum sequentium præcipuè :

1° Patriarcharum antediluvianorum eligit familias, quas providentià speciali gubernat. — Per illas integram conservat cognitionem religionis primitivæ, speciatìm peccati originalis, redemptoris promissi. — Has cognitiones per eas proponit generationibus antediluvianis, transmittit tandem generationibus postdiluvianis. Siquidem homines tempore dispersionis cognoscentes prædictas veritates, eas in universum orbem asportàrunt per traditiones generationibus sequentibus transmittendas.

2° Hominibus postdiluvianis in errores et vitia proruentibus, Abraham ejusque posteros eligit ut, Patriar-

charum antediluvianorum continuatores, conservent atque transmittant religionem primitivam; simulque recipiant, conservent et transmittant veritates quibus progressivè religionem primitivam evoluturus erat, ad homines disponendos ad reparationem. Providentiâ speciali dirigit Abraham, Isaac et Jacob. — In populum specialem eligit sibi eorum posteros, leges politicas et cæremoniales ipsis imponit; ut, ab aliis populis separati, eorum errores et vitia difficiliùs participantes, religionem primitivam revelationesque speciales tutiùs transmittere possint.

3° Per Abraham, Isaac et Jacob atque Prophetas sequentes usque ad Malachiam, populo Israëlitico successivè revelat Messiæ characteres, quibus reparatoris persona quasi minutissimè delinearetur; ut in eam mens Judæorum perpetuò converteretur, simulquè adveniens Liberator facilè et certò ab hominibus cognosceretur. — Insuper vitam et functiones Messiæ, Ecclesiam ejusque futuros eventus adumbrat in vitâ Patriarcharum, in eventibus populi Israëlitici, in cæremoniis legalibus.

4° Per Moysen populi Israëlitici institutorem, Hebræis imponit leges præcepta primitùs revelata evolventes ac perficientes, ut transitus à lege primitivâ ad perfectionem christianam facilior evadat.

5° Per Israëlitas immediatè aut mediatè notificat aliis populis prophetias de Messiâ, religionemque Hebræorum.

Immediatè: Deo enim jubente aut disponente, Abraham habitat in terrâ Chaldæorum, Chananæorum, Ægyptiorum. — Joseph terræ Ægyptiorum præest; in

eam introducit Jacob cum familiâ suâ. In eâ crescit tribus Israëlitarum, undè exurgit natio Hebræorum. —Tempore Salomonis commercium ineunt Hebræi cum Phœnicis et Ægyptiis. — In regiones orientales captivi ducuntur per reges Ninivitas; à Cyro Persarum rege post 70 annos liberantur. — Sub Alexandri successoribus commiscentur populis Ægypti et *Asiæ* occidentalis. —Eorum libri hebraïcè scripti, jubente Philadelpho, græcè redduntur. — Sub Romanis Judæa fit imperii provincia; Judæi in varias Occidentis regiones disseminantur, ipsamque Romam invadunt.

Mediatè: Judaïcâ enim religione prædictis populis immediatè communicatâ, facilè explicatur per commercium populorum ejus divulgatio, et exspectatio universalis Messiæ tempore ejus adventûs.

6° Per imperia coadunavit in unam societatem tribus nationesque diversas. Sic manifestavit idololatriæ contradictiones, hostilitates populorum paulatìm *minuit*, hominesque ad unitatem intellectualem et moralem doctrinæ christianæ præparavit. — Speciatìm per imperia, Græcum et Romanum, communicationes inter populos instituit, linguas græcam et romanam vulgares fecit; indè prædicationi christianæ viam aperuit.

II.

DE REPARATIONE ADIMPLETA.

Omnibus ad reparationem præparatis, *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, ut hominem actibus suis repararet.

Sub titulo præsenti dicendum ergo de VERBO INCARNATO.

Tria autem sunt de Verbo Incarnato exponenda: Ejus existentia, proprietates, actus.

I. — DE EXISTENTIA
VERBI INCARNATI.

Præmittenda. Incarnatio est: unio naturæ divinæ et humanæ in unâ Verbi personâ.

In Verbo incarnato tria sunt distinguenda : 1° *natura divina*, id est substantia, proprietates et attributa divina; 2° *natura humana*, id est corpus humanum, anima humana inter se unita; 3° *unio personalis* seu *hypostatica*, per quam naturæ divina et humana ad unicam Verbi divini personam reducuntur: undè fit Christus; quod sic explicari potest. In genere persona dicitur substantia libera et suî juris. Homo personæ superiori non unitus est persona, est enim substantia libera et suî juris. Si autem personæ divinæ uniatur, itâ ut ex duabus naturis quid unum fiat, amittit personalitatem suam; siquidem, licèt conservet libertatem, cessat esse suî juris.

Tria ergo negari possunt in Christo: divinitas, humanitas, unio hypostatica naturæ divinæ et humanæ per Verbi personalitatem.

Errârunt circa *naturam divinam* Christi: Simon magus, Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Beryllus Bostræ in Arabiâ episcopus, Paulus Samosatenus, Sabellius.

Circa *humanitatem*, rejiciendo veram carnem à Christo de B. Mariâ assumptam: Simon magus, Menander, Saturninus, Basilides, Valentinus, Apelles, Cerdo ;— spoliando Christum animâ vel mente humanâ: Ariani, qui, juxta S. Athanasium, aiebant vice inte-

rioris nostri hominis, id est animæ, Verbum in carne exstitisse; Apollinaristæ, qui in Christo corpus et animam admittebant, sed mentem humanam ei denegabant, Verbo vicem ejus supplente; — spoliando Christum voluntate et operatione humanâ: Monothelistæ, qui unicam agnoscebant in Christo voluntatem et operationem, scilicet divinam.

Circa *unionem naturæ divinæ et humanæ:* Nestorius, qui duplicem affirmabat personam unione duntaxat morali conjunctam. Aiebat enim: Verbum in homine Christo habitâsse tanquàm in templo; unionem Verbi cum humanitate esse duntaxat affectûs; Verbum cum humanitate esse unitum secundum operationem, quia humanitas erat Verbi instrumentum, secundum participationem, quia Verbum homini impertiverat dignitatem suam ut Deus et Filius Dei appellaretur. Per modum corollarii negabat B. Virginem esse Deiparam; erat enim tantùm personæ humanæ genitrix. — Eutyches, qui affirmabat unicam naturam in Christo fuisse post Incarnationem. Undè Eutychiani Monophysitæ appellati sunt. Hæresi Monophysitarum affinis est hæresis Monothelitarum de quâ suprà. Quibus positis,

Quær. *Utrùm admittenda sit Verbi incarnati, seu Incarnationis existentia?*

Resp. Admittenda est Verbi incarnati, seu Incarnationis existentia.

Prob. Iª. Ecclesia universalis credit dogma Incarnationis in sensu explicato. — Quæ fides explicitè manifestatur in symbolo S. Athanasii, quod auctoritate Ecclesiæ recitatur: *Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei*

Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantiâ Patris ante sæcula genitus; et homo est ex substantiâ matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo; ex animâ rationali, et humanâ carne subsistens. Æqualis Patri secundum divinitatem; minor Patre secundum humanitatem. Qui, licèt Deus sit et homo; non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione Divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omninò, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ità Deus et homo unus est Christus.

Prob. IIa. Admittenda est Incarnationis existentia, si Christus possideat 1o naturam divinam, 2o naturam humanam; 3o si natura humana et natura divina Christi hypostaticè uniantur in unicâ Verbi personâ. Porro hæc tria certa sunt.

I. Christus possidet naturam divinam:

Pr. 1a. *Arg. theol.* Rationibus specialibus infrà probabitur B. Virginem esse matrem Dei, ergo Christus Mariæ Filius est Deus.

Pr. 2a. *Script.* 1o Perfectiones divinæ supponunt naturam divinam; ergo Christus possidet naturam divinam, si habeat perfectiones divinas. Porro habet: — æternitatem: S. Joan. in Apoc. 22, 13, inducit Jesum de se ità loquentem: *Ego sum Alpha et Omega, primus et novissimus, principium et finis.* Hebr. 13, 8: *Jesus Christus heri, et hodiè: Ipse et in sæcula;* — Omniscientiam: Col. 2, 3: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi;* — Omnipotentiam et immutabilitatem: Apostolus (Hebr. 1, 10) Christo applicat hæc

verba Psal. 101 : *Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanes...; mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient;*— Vim sanctificantem : I Cor. 6, 11 : *Sanctificati estis, et justificati in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

2° Secunda Trinitatis persona (Verbum, Filius) possidet naturam divinam; ergo et Christus, si Christus sit Verbum, Filius Dei. Porro,

Christus est Verbum Dei :—Joan. 1, 11 : *Et Verbum caro factum est... et vidimus gloriam ejus.* Ibid. 1, 15 : *Joannes testimonium perhibuit de ipso.* Undè sic: ex textu, Joannes testimonium perhibuit Verbo incarnato; ergo Christus est Verbum incarnatum, cùm aliundè constet Joannem fuisse Christi præcursorem, proindè Joannem perhibuisse testimonium de Christo.

Christus est Filius Dei : — Christo interroganti discipulos quid eum esse dicerent, respondit Petrus: *tu es Christus Filius Dei;* cui Christus approbans declarat : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* (Matth. 16, 16.)—In concilio sacerdotum et seniorum interrogatus utrùm esset Filius Dei, Christus respondet : *Ego sum;* et addit : *Et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.* (Marc. 14, 61-62.) Quod Judæi intelligentes in sensu stricto omnes vociferaverunt : *secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* (Joan. 19, 7.) — I Joan. 5, 5 : *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?* —II Cor. 1, 13 : *Dei Filius Jesus Christus.* Galat. 4, 4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum factum ex muliere.*

3° Christus possidet divinitatem, si sit consubstantialis Patri; porro res ità est. Joan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus*. Ibid. 10, 38: *Ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et Ego in Patre*. Ibid. 16, 15: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*. Ibid. 14, 10: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*. Col. 2, 9: *In Ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.

Christus possidet divinitatem, si in scripturis appelletur *Deus* sine addito; porro sic appellatur. Joan. 22, 28: Cùm Thomas viso et attrectato Domino admirans exclamàsset: *Dominus meus et Deus meus*, respondit ei Jesus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt*. Rom. 9, 5: *Ex quibus* (Israelitis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula*. Rom. 14, 10, 12: *Omnes stabimus ante tribunal Christi... itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo;* undè tribunal Christi, tribunal Dei. Philip. 2, 6: *Qui, cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*. Tit. 2, 13: *Exspectantes adventum gloriæ Magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*.

Pr. 3ª. *Traditione*. S. Ignatius, ep. ad Ephes.: *Unus est medicus carneus et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vera vita, et ex Deo*. Et, ep. ad Magnes.: *Unus est Deus, qui seipsum manifestum reddidit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum sempiternum*.—Eusebio teste, S. Polycarpus martyrio proximus hanc orationem habuit: *Te benedico et glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum Filium tuum, per quem tibi cum*

ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in futura sæcula sæculorum. Amen. — S. Irenæus, adv. hæres. l. 2, c. 35 : *Semper est coexistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem.* — S. Justinus, apolog. 1 : *Filius ejus, qui solus propriè dicitur Filius, Verbum, simul cum eo ante creaturas et existens et nascens.*—Athenagoras, in legat. aut apolog.: *Quantùm potui pro rei dignitate, demonstravi nos non esse à Deo alienos, qui universitatis hujus opificem Verbumque ejus et verum Deum veneramur.* — Tertullianus contra Praxeam, c. 25 : *Ego et Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem pertinet.* — Synodus Antiochena contra Paulum Samosatenum congregata ità catholicum dogma exprimit : *Hunc Filium genitum, unigenum Filium, imaginem invisibilis Dei, primogenitum omnis creaturæ, Sapientiam et Verbum, et Virtutem Dei, qui et ante sæcula, non præscientiâ, sed substantiâ et hypostasi Deum, et Dei Filium in veteri et novo Testamento agnoscentes confitemur...*

Pr. 4ª. Auctor. Eccles. Symb. Nicæn.: *Credo... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum... Deum de Deo... Deum verum de Deo vero... Consubstantialem Patri.*

II. Christus possidet naturam humanam.

Pr. 1ª. Script. Joan. 8, 40: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo.* 1 Tim. 2, 5 : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.*

Pr. 2ª. Symb. Nicæn.: *Et homo factus est.*

Pr. 3ª. Christus possidet humanitatem, si habeat — corpus humanum, — animam humanam intellectu et

voluntate præditam,—animam et corpus inter se unita. Atqui

Christus habet corpus :—Luc. 1, 30 : *Ne timeas, Maria... Ecce concipies in utero et paries filium.* Ibid. 24, 39 : *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum : palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* II Joan. 7 : *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne: Hic est seductor et antichristus.* I Joan. 4, 2 : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.*

Christus habet animam humanam intellectu et voluntate præditam :—Habet animam : Joan. 10, 15 : *Animam meam pono pro ovibus meis.* Matth. 26, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* —Intellectu et voluntate præditam : Joan. 17, 9 : *Ego pro eis rogo.* Philip. 2, 8: *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Undè sic : Christus orat, obediens est; ergo ipsius anima intellectu et voluntate prædita est, si oratio et obedientia intellectum et voluntatem supponant. Porro supponunt intellectum : oratio enim supponit cognitionem eorum quæ postulantur, obedientia, cognitionem præcepti impositi ; supponunt voluntatem : oratio et obedientia in se consideratæ sunt actus voluntatis.—Animam humanam : Si anima in Christo existens non sit humana, ergo nihil aliud est quàm Verbum humanitati Christi unitum, ut volunt Ariani et Apollinaristæ ; atqui hoc falsum est. Siquidem anima Christi, ut constat ex textibus suprà citatis, potest tristari, orare, obedire. Porro Verbum est incapax tristitiæ, cùm sit essentialiter beatum ; orationis,

cùm bona omnia essentialiter possideat et possit per se aliis communicare; obedientiæ, cùm sit Deus ac proindè essentialiter independens.

Christus habet corpus et animam inter se unita : — Christus passus est, mortuus est, resurrexit. Porro unionem inter corpus et animam supponit 1. dolor : sublatâ enim hâc unione, impossibile est corpus agere in animam et vice versâ ; 2. mors : est enim separatio animæ à corpore, porro anima non potest à corpore separari quin anteà fuerint unita ; 3. resurrectio : cùm sit unio iterata inter corpus et animam.

III. Natura divina et natura humana uniuntur hypostaticè in unicâ Verbi personâ :

1ª *p*. Natura divina et humana *uniuntur :*

Pr. 1° Si natura divina et humana in Christo non unirentur, eidem Christo non possent attribui natura divina et humana, proprietates divinæ et humanæ, actiones divinæ et humanæ; nullum esset enim in Christo subjectum unicum attributionis harum naturarum, proprietatum et actionum. Ergo reverà natura divina et humana inter se uniuntur, si Scriptura attribuat Christo naturam, proprietates actionesque divinas et humanas; porro rem ità esse constat ex textibus suprà citatis multisque aliis.

2° Si natura humana non uniretur naturæ divinæ, nulla essent in Christo merita infinita. Siquidem hæc merita essent, vel in naturâ divinâ, vel in naturâ humanâ. Atqui, non in naturâ divinâ, quæ meriti incapax est, cùm infinitè independens et perfecta à nullo quidquam obtinere possit; non in naturâ humanâ, quæ est incapax meriti infiniti, cùm sit essentialiter finita.

Ergo rejicienda est separatio naturarum et admittenda earum unio, si Christi merita et satisfactio fuerint infinita ; porro hoc constat ex fide Ecclesiæ.

3° Si humanitas esset in Christo separata à Divinitate, Christus ut homo non esset adorandus, nihil enim adorandum inesse potest in merâ creaturâ. Ergo rejicienda est separatio naturarum, et admittenda earum unio, si Christus ut homo sit adorandus; atqui rem ità esse ex dicendis constabit.

4° Si humanitas in Christo à Divinitate esset separata, B. Virgo puri hominis esset mater, proindè non posset appellari Mater Dei. Ergo natura divina et humana non sunt separatæ sed unitæ, si B. Virgo possit verè et propriè dici Mater Dei ; porro hæc propositio infrà probabitur.

2ª *p*. Naturæ divina et humana uniuntur *in personâ divinâ:*

Pr. Admittenda est hæc unio, si non repugnet in se, et aliundè reddat solaque reddat rationem admissibilem veritatum in præcedenti quæstione expositarum. Atqui,

1° Non repugnat in se, quod ex dicendis in tertiâ probatione constabit.

2° Reddit rationem veritatum suprà expositarum : Positâ enim unione hypostaticâ, explicatur 1. attributio uni Christo naturæ divinæ et humanæ, proprietatum actionumque divinarum et humanarum. Sicut enim de unicâ hominis personâ affirmantur anima et corpus, proprietates actionesque spirituales et corporeæ, quia anima et corpus in homine hypostaticè uniuntur ; ità de unicâ personâ Christi affirmari possunt

natura humana et divina, proprietates actionesque divinæ et humanæ, quia naturæ divina et humana hypostaticè in Christo uniuntur. 2. Explicatur infinitudo meritorum Christi : Merita enim naturæ humanæ Christi ad valorem infinitum elevantur per unionem hypostaticam cum personâ Verbi, siquidem valor actionis crescit pro dignitate personæ agentis. 3. Explicatur *legitimitas* adorationis Christi ut hominis : Siquidem hâc voce *homo* designatur humanitas per personalitatem completa ; proindè hæc propositio : *Christus ut homo est adorandus,* significat : *Homo , quatenùs personalitate Verbi terminatur, est adorandus.* Quæ propositio sic intellecta evidens est; persona enim Verbi, ut divina, est adoranda, simulque adoranda est ejus humanitas ratione unionis hypostaticæ. 4. Explicatur maternitas divina : Nam, si natura humana uniatur hypostaticè cum personâ divinâ, B. Virgo est mater hominis personalitate divinâ terminati. Ergo Dei mater est, quamvis non genuerit personalitatem divinam ; sicut mulier dicitur mater hominis, quamvìs non genuerit animam quâ corpus fit propriè homo.

3° Sola reddit rationem veritatum præcedentium :

Si alia unio posset reddere rationem veritatum suprà expositarum ; vel unio *moralis*, ad sensum Nestorii; vel unio *per confusionem*, ad sensum Eutychetis. Porro,

Non unio *moralis:* Per unionem moralem explicari non potest 1. attributio naturæ divinæ et humanæ, proprietatum actionumque divinarum et humanarum eidem subjecto. Unio enim moralis est mera relatio ; porro meræ relationi attribui non possunt natura, pro-

prietates, actiones reales. Sic absurdum esset dicere affectionem inter Deum et hominem possidere naturam divinam et humanam, habere attributa divina et humana, agere per Deum et hominem. 2. Nec infinitudo meritorum Christi : Siquidem ex affectione mutuâ inter naturam divinam et humanam non sequitur meritum naturæ humanæ verè esse meritum naturæ divinæ, et vice versâ meritum hominis elevari ad valorem infinitum per dignitatem infinitam Dei. 3. Nec legitimitas adorationis Christi ut hominis : Siquidem ex eo quòd homo diligatur à Deo non sequitur eum esse adorandum. 4. Nec maternitas divina : Siquidem ex eo quòd filius alicujus mulieris diligatur à Deo, non sequitur mulierem esse matrem Dei.

Quod dicimus de unione affectionis, dicendum de aliis unionibus à Nestorio admissis ; scilicet, de unione per habitationem, de unione causæ cum instrumento, de unione per communicationem extrinsecam, quas suprà indicavimus.

Non unio *per confusionem :* Nam 1. si unio naturarum fieret per confusionem, ergo unica est in Christo natura ac proindè voluntas, quod contradicit Scripturæ, fidei et doctrinæ Ecclesiæ. 2. Positâ unione hypostaticâ, conciliantur affirmationes contradictoriæ quibus Christo attribuuntur proprietates actionesque divinæ et humanæ. Hæc omnia affirmantur de eodem subjecto quidem, scilicet de personâ Christi, non autem de eodem subjecto sub eodem respectu considerato. Proprietates enim et actiones humanæ affirmantur de Christo, quatenùs possidet naturam humanam ; proprietates verò actionesque divinæ, quatenùs possidet naturam divi-

nam. Admissâ autem confusione naturarum, proprietates contradictoriæ affirmantur, non de eâdem personâ tantùm, sed de eâdem naturâ, quod absurdum est. 3. Positâ confusione naturarum, ex tribus unum est admittendum : vel naturam mixtam exurgere ex unione naturæ divinæ et humanæ, vel naturam humanam à divinâ, vel divinam ab humanâ fuisse absorptam. *Porro* admitti non potest natura mixta : sequeretur enim naturam divinam mutatam fuisse, siquidem post Incarnationem possideret formaliter naturam humanam quam priùs possedisset eminenter tantùm. Nec absorptio naturæ humanæ à naturâ divinâ : Positâ enim tali absorptione, natura divina sola existeret, proindè impossibile esset meritum, proindè impossibilis satisfactio. Nec absorptio naturæ divinæ à naturâ humanâ: quia est absurda in se ; et aliundè, absorptâ naturâ divinâ, evanesceret valor infinitus meritorum Christi.

3a *p*. Naturæ divina et humana uniuntur *in personâ Verbi;* seu, personalitas divina, quâ conjungitur natura divina et humana, est personalitas Verbi, non verò personalitas Patris aut Spiritûs Sancti :

Pr. Joan. 1, 14 : *Et Verbum caro factum est.* Ibid. 3, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

4a *p*. Uniuntur in *unicâ* Verbi personâ ; id est, personalitas Verbi est unica, seu excluditur personalitas humana :

Pr. Si in Christo esset personalitas humana, 1. duplex esset Christus, divinus scilicet et humanus : divinus, cùm in Christo esset personalitas Verbi ; humanus, cùm ex hypothesi in eodem Christo esset personalitas

humana. 2. Natura divina et humana, proprietates actionesque divinæ et humanæ de eodem Christo affirmari non possent. Siquidem personalitati humanæ exclusivè attribui deberent natura, proprietates, actionesque humanæ; simili modo personalitati divinæ, natura, proprietates actionesque divinæ. 3. Merita Christi non essent infinita; siquidem personæ humanæ exclusivè attribuenda essent. 4. Natura humana completa esset per humanam personalitatem; proindè Christus ut homo non esset adorandus; B. Virgo personæ humanæ non verò divinæ esset mater, et Mater Dei appellari non posset. Quæ omnia opponuntur Scripturæ, Traditioni, fidei et doctrinæ Ecclesiæ.

Prob. IIIa. Possidet, et ex dictis, cum rationibus validis possidet mysterium Incarnationis in Ecclesiâ catholicâ; proindè admittendum est, nisi ipsius falsitas rationibus certis probetur. Porro nedùm certæ, imò invalidissimæ sunt rationes hoc mysterium impugnantes, ut ex præcipuarum expositione et refutatione constabit.

Objectiones illæ repetuntur ex parte Verbi divini, ex parte humanitatis, ex parte nexûs.

1° Ex parte Verbi divini. *Objic.* 1. Per Incarnationem Verbum incipit esse homo; 2. Verbum ante Incarnationem completum, fit per Incarnationem pars totius à Verbo distincti. Ergo per Incarnationem mutaretur, quod absurdum est.

Resp. ad 1am: Verum est equidem Verbum contrahere per Incarnationem novam relationem extrinsecam cùm naturâ humanâ quam terminat; verum est etiam naturam humanam per hanc relationem perfici, cùm

ad personalitatem Verbi elevetur. Falsum est autem Verbum per Incarnationem intrinsecè mutari, quia per hanc relationem extrinsecam cum humanitate perfectionem ullam nec amisit, nec acquisivit; porro immutabilitati Verbi opponitur mutatio intrinseca, non verò extrinseca, alioquin dicendum foret Deum per creationem mutatum fuisse.

Ad 2^{am}: Verum est naturam divinam et humanam posse, in sensu lato, appellari partes Christi; siquidem ex naturâ divinâ et humanâ hypostaticè unitis exurgit Christus. Falsa est autem hæc propositio in sensu strictò, qui induceret mutationem. Partes enim seorsìm sumptæ incompletæ sunt; sese mutuò complent et perficiunt; porro ex Incarnatione sola humanitas perfectior evadit, non verò divinitas.

2° Ex parte humanitatis. *Objic.* Juxta Incarnationis dogma, 1. ex unâ parte, humanitas Christi esset perfecta; ex alterâ parte imperfecta, siquidem personalitate propriâ privaretur; 2. natura humana omnes Verbi proprietates participaret, v. g. infinitatem, omnipotentiam: quod absurdum.

Resp. ad 1^{am}: Equidem natura humana personalitatem amittit per Incarnationem; conjungitur enim personalitati superiori Verbi, fit pars ipsius, desinit proindè esse suî juris: manet verò perfecta quoàd naturam, et per unionem hypostaticam abundè suppletur amissioni personalitatis humanæ.

Ad 2^{am}: Juxta dogma Incarnationis perfectiones divinæ attribui possunt humanitati in concreto; scilicet, prædicari possunt cum proprietatibus humanis de eâdem personâ Verbi. Dici enim potest, ob unionem

hypostaticam: *Deus est homo*, *homo est Deus*, etc., etc. Falsum est autem proprietates divinas prædicari posse de naturâ humanâ in abstracto, quia natura divina et humana in Christo manent inconfusæ. Sic dici non potest: *divinitas est humanitas*, *humanitas est immensa*, *infinita*, etc. De his fusiùs ubi de *Communicatione idiomatum*.

3º Ex parte nexûs. *Objic.* 1. Nulla est proportio inter naturam divinam et humanam, impossibilis proindè earum unio. 2. Ex unione hypostaticâ sequitur de eodem subjecto prædicari posse attributa contradictoria. 3. Ex dogmate Incarnationis, Verbum solum incarnatum fuisset, quod est impossibile, cùm, ex dogmate Trinitatis, tres personæ unam et indivisam habeant substantiam.

Resp. ad 1am: Nulla est proportio perfectionis inter naturam divinam et humanam. Sed existit proportio similitudinis, habitudinis, qualis existit v. g. inter facultatem cognitivam et veritatem; imò capacitas hypostaticæ unionis, quod facto Incarnationis constat, quamvis hoc mysterium intellectûs humani capacitatem superet.

Ad 2am: Non repugnat, ut jàm diximus, de uno eodemque subjecto, quod ex duplici naturâ coalescit, diversa et contradictoria prædicari pro diverso ad alterutram naturam respectu.

Ad 3am: Hoc est Ecclesiæ dogma de Incarnatione, scilicet: personam Verbi à personalitate Patris et Spiritûs S. realiter distinctam assumpsisse naturam humanam. Indè concludunt theologi naturam humanam, mediante personalitate Verbi, fuisse unitam naturæ divinæ, ac proindè per concomitantiam personis Patris

et Spiritûs Sancti. Undè dogma Incarnationis nihil contradicit dogmati Trinitatis.

II. — DE PROPRIETATIBUS VERBI INCARNATI.

In Verbo incarnato tria sunt distinguenda : 1° natura divina, 2° natura humana, 3° unio hypostatica naturæ divinæ et humanæ in unicâ Verbi personâ. Undè,

§ I. — DE PROPRIETATIBUS DIVINIS CHRISTI.

Quær. *Quœnam et quales sint proprietates divinœ Christi?*

Resp. Christus possidet ratione divinitatis omnes proprietates divinas in gradu infinito. Natura enim divina nec esse nec concipi potest his proprietatibus destituta.

§ II. — DE PROPRIETATIBUS HUMANITATIS CHRISTI.

Quær. *Quœnam et quales sint proprietates humanitatis Christi?*

Resp. In genere, ex omnium consensu, à primo conceptionis instanti Christus habuit omnes proprietates essentiales et naturales humanitatis, in summo gradu perfectionis naturalis et supernaturalis compossibili cum functionibus reparatoris.

Prob. Habuit proprietates essentiales et naturales humanitatis : siquidem possedit humanitatem sine addito (dicuntur *essentiales* humanitati, proprietates sine quibus homo nec esse nec concipi potest ; *naturales*, sine quibus homo habere potest essentiam quidem, non

verò integritatem humanitatis); — in summo gradu perfectionis naturalis et supernaturalis: hoc enim requiritur dignitate humanitatis assumptæ in unitatem personæ divinæ; — compossibili cum functionibus reparatoris: Christus enim debuit conservare defectus necessarios ad implendam functionem reparatoris, alioquin finem Incarnationis obtinere non potuisset; — à primo conceptionis instanti: Christus enim à primo conceptionis instanti fuit Homo-Deus, Redemptor.

Ex hoc principio deducuntur proprietates et perfectiones speciales Christi ratione humanitatis.

1° — De Proprietatibus humanitatis.

Christus habuit:

Corpus humanum integrum;

Animam humanam; quoàd substantiam, spiritualem; quoàd durationem, immortalem; quoàd facultates, intellectualem, appetitui sensitivo obnoxiam, liberam.

2° — De Perfectionibus humanitatis.

Ut lucidiori modo exponantur, illas comparabimus cum perfectionibus protoparentis.

I. Adam habuit elementa statûs innocentiæ ESSENTIALIA, scilicet: *finem supernaturalem; gratiam habitualem, gratias actuales.* — Quæritur ergo utrùm humanitas Christi destinata fuerit ad finem supernaturalem; habuerit gratiam habitualem, actualem.

Ad 1am q. part. scilicet: *Utrùm humanitas Christi destinata fuerit ad finem supernaturalem?*

Resp. Non solùm Christus ad finem supernaturalem,

seu visionem intuitivam, destinatus fuit ; sed eâ fruitus est modo perfectissimo à primo conceptionis instanti.

Quod probandum et explicandum.

Probatio. — Christus fruitus est visione intuitivâ : Nam 1° visio intuitiva est supernaturaliter possibilis animæ humanæ et aliundè animam humanam perficiens. 2° Joan. 1, 14: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Verbum Incarnatum dicitur plenum gratiæ et veritatis ; ergo veritatem perfectè cognoscebat, proindè visione fruitivâ fruebatur. Ibid. 17, 24: *Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.* Christus pro discipulis rogabat claritatem quâ fruebatur ; porro hæc claritas nihil aliud est quàm visio intuitiva, ergo Christus visione intuitivâ fruebatur.

Fruitus est modo perfectissimo à primo conceptionis instanti. Siquidem humanitas Christi debuit esse perfectissima statìm atque fuit Verbo divino unita; porro à primo conceptionis instanti humanitas Christi fuit unita Verbo, ut infrà videbimus (1).

(1) Hic occurrit difficultas à plerisque memorata. Si Christus à primo conceptionis instanti indesinenter fruitus est visione intuitivâ modo perfectissimo, quomodò simul in eâdem superiori parte animæ ejus aliquandò potuerit esse tristitia et valdè magna ? Diversè respondent theologi. Juxta Suarez, cujus sententiam tantùm referemus, quamvis tristitia et gaudium sint contraria, divinâ tamen virtute, licèt non absque miraculo, fieri potuit ut simul conjungerentur in eâdem voluntate Christi gaudium et tristitia circa diversa objecta, imò circa idem objectum sub diverso tamen respectu. *Comment. in* 3am *part.* q. 18, art. 6, sect. 3.

Explicatio. — Quær. 1° *Utrùm per visionem intuitivam anima Christi Deum comprehenderit?*

Resp. negativè. Comprehensio enim est adæquata et perfecta rei cognitio. Porro anima Christi, utpotè finita, non potest infinitum adæquatè et perfectè cognoscere.

Quær. 2° *Utrùm per visionem intuitivam animæ Christi cognoverit omnia creata?*

Resp. Cognovit omnia quæ sunt, fuerunt, vel futura sunt extra Deum; quæcumque sunt in potentiâ creaturæ, quamvis nunquàm reducta vel reducenda in actum. Non cognovit autem omnia quæ sunt in potentiâ divinâ.

Cognovit omnia quæ sunt... Nam cognitiones prædictæ non excedunt capacitatem creaturæ ad visionem intuitivam elevatæ.

Non cognovit omnia quæ sunt in potentiâ divinâ... Alioquin omnipotentiam divinam comprehenderet, quod est impossibile, cùm sit infinita.

Ad 2am q. part. scilicet : *Utrùm Christus habuerit gratiam habitualem?*

Resp. Quædam certa, unum controversum.

Certa. 1° Christus secundum humanitatem fuit sanctus et Deo gratus. Hebr. 7, 26: *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Matth. 3, 17 et 17, 5 : *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.*

2° Christus secundum humanitatem fuit sanctus per unionem hypostaticam, quæ humanitatem sanctificat, ac Deo gratam reddit.

Controvertitur autem utrùm, præter sanctitatem communicatam per unionem hypostaticam, habuerit gratiam habitualem.

Pauci negant. Plerique affirmant animam Christi à primo conceptionis instanti habuisse gratiam habitualem in gradu perfectissimo, adduntque opinionem contrariam esse temerariam.

Sententiam affirmantem amplectimur, et sic probamus atque explicamus.

Probatio. — 1ª *p*. Anima Christi habuit gratiam habitualem: Nam 1º gratia habitualis erat possibilis in animâ Christi, eam poterat perficere, nec obstabat functionibus reparatoris; hoc evidens est. 2º Rom. 5, 5: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*. Deus diffundit charitatem in justis, ergo à fortiori in animâ Christi, cui *non ad mensuram dat Deus Spiritum* (Joan. 3, 34). Ergo ipsi concessit gratiam sanctificantem; cùm gratia sanctificans nihil aliud sit quàm charitas habitualis, juxta quosdam theologos, et sit indissolubiliter charitati habituali unita, juxta alios. S. Joan. 1, 14, affirmat Christum fuisse *plenum gratiæ et veritatis*. 3º Propositionem nostram plerique Patres admittunt. 4º Ex Conc. Trid. sess. 6, cap. 7, et can. 11, constat nos justificari, ac proindè ad statum supernaturalem elevari per infusionem gratiæ et charitatis; ergo à pari Christus.

2ª *p*. Eam habuit à primo conceptionis instanti, in gradu perfectissimo: Siquidem anima Christi fuit à primo conceptionis instanti unita personæ Verbi, proindè ab illo momento habuit in gradu perfectissimo omnes perfectiones Ipsi possibiles.

Explicatio. — Quær. *Utrùm Christus habuerit gratiam sanctificantem absque prœviis actibus propriis, an sub conditione actuum cum auxilio gratiæ productorum.*

Resp. Eam habuit sub conditione actuum cum auxilio gratiæ productorum, ob rationes expositas ubi de gratiâ protoparentis.

Ad 3am q. part. scilicet : *Utrùm Christus habuerit gratiam actualem?*

Resp. Vel agitur de gratiâ *adjuvante*, vel de gratiâ *excitante.*

1° Si de gratiâ adjuvante : probabilius est Christum eam habuisse. Siquidem sine auxilio supernaturali, seu sine gratiâ, homo non potest bonum supernaturale operari.

2° Si de gratiâ excitante : probabilius est Christum eam non habuisse. Ipsi enim inutilis fuisset, cùm sine eâ Christus fuerit sufficienter amotus à peccato per impeccabilitatem, sufficienter excitatus ad bonum per virtutes, et præcipuè per charitatem, ipsi inditas in gradu intensissimo.

II. Adam habuit elementa statûs innocentiæ ACCIDENTALIA intrinseca, *scientiam perfectam* à visione beatorum distinctam, *immunitatem ab errore*, *voluntatis rectitudinem*; *immunitatem à dolore, morbo, morte.*

Quær. 1° *Utrùm Christus habuerit scientiam perfectam à visione beatorum distinctam, immunitatem ab errore?*

Resp. Christus habuit scientiam perfectam à visione beatorum distinctam, immunitatem ab errore.

Probatio. — 1° Hæc privilegia fuerunt in Adamo innocente; ergo à fortiori in Christo, nisi repugnent visioni intuitivæ, aut functionibus reparatoris. Atqui non repugnant visioni intuitivæ: non repugnat enim eadem objecta cognosci per visionem beatorum simul et cognitionem viatorum. Nec functionibus reparatoris: Christus enim quamvìs possidens scientiam perfectam, potuit pati, ac proindè satisfacere et reparare hominem.

2° Christus ut homo erat Dominus universorum, Caput Judexque omnium intelligentiarum creatarum; porro Domino, Capiti, Judici universorum competit omnium cognitio.

Explicatio. — De scientiâ Christi determinanda sunt 1° objectum, 2° medium, 3° proprietates.

1° *Objectum.* In genere, Christus cognovit omnia naturaliter et supernaturaliter homini cognoscibilia; alioquin ejus cognitio non fuisset perfecta.

Proindè cognoscebat — in ordine naturali, entia, non solùm quoàd species, sed etiam quoàd individua; cogitationes cordium, et futura etiam contingentia; — in ordine supernaturali, entia supernaturalia; mysteria fidei, etiam mysterium Trinitatis quoàd existentiam. Hæc enim sunt intellectui humano cognoscibilia per media naturalia aut supernaturalia.

Non cognovit autem omnia possibilia; quia comprehendisset omnipotentiam, quod excedit capacitatem humanam.

2° *Medium.* Christus à primo conceptionis instanti habuit omnes cognitiones prædictas per infusionem; insuper, decursu temporum multas acquisivit per expe-

rientiam et facultates naturales. Nullas habuit per revelationem.

Christus habuit omnes... per infusionem: Si alio modo habuisset illas cognitiones, vel per experientiam, vel per revelationem. Atqui non per experientiam : siquidem à primo conceptionis instanti non poterat experiri. Neque per revelationem : nam cognitiones Christi, cùm fuerint perfectissimæ, per medium perfectissimum acquiri debuerunt; porro infusio, utpotè conferens cognitiones claras et completas, est perfectior revelatione, quæ veritates transmittit modo obscuro et incompleto.

Decursu temporum multas acquisivit per experientiam : Christus enim habuit facultates experimentales, sensus scilicet et facultates homini naturales; proindè scientiam experimentalem acquirere potuit. Eam ergo acquisivit, alioquin sub hoc respectu fuisset imperfectus.

Nullam per revelationem : constat ex suprà dictis.

3o *Proprietates*. Cognitiones Christo infusæ fuerunt perfectissimæ; id est, anima humana Christi comprehendebat omnia objecta intellectui humano comprehensibilia; incomprehensibilia verò simpliciter cognoscebat. De utroque cognitionis genere habebat scientiam claram, certam, non retrogradem seu oblivioni subjectam, non progressivam. Hæc enim evidenter requiruntur ad scientiam perfectam.

Cognitiones experimentales Christi fuerunt in genere suo perfectissimæ, perfectione tamen inferiori cognitionibus infusis. Nam in scientiâ infusâ mens illuminatur à Deo immediatè et completè pro capacitate suâ;

dùm in scientiâ experimentali mens illuminatur per creaturas incompletè, ut experientiâ constat.

In specie non fuerunt retrogrades, benè verò progressivæ. Luc. 2, 52: *Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines.*

Quær. 2° *Utrùm Christus habuerit rectitudinem voluntatis?*

Resp. Christus habuit rectitudinem voluntatis. Quæ propositio probanda et explicanda est.

Probatio. —Adam habuit rectitudinem voluntatis, à fortiori Christus, si non repugnet ipsius perfectioni et functionibus reparatoris. Atqui neutrum dici potest, ut evidens est.

Explicatio. — Quær. 1. in quo sita fuerit rectitudo voluntatis Christi, 2. quo medio eam obtinuerit?

Ad 1^am^ scilicet: *In quo sita fuerit rectitudo voluntatis Christi?*

Resp. Rectitudo voluntatis Christi sita fuit in immunitate à peccato, imò impossibilitate peccandi, in habitibus facto subjicientibus in ordine tùm naturali, tùm supernaturali, voluntatem Deo, voluntati partes inferiores et corpus. Sine his nempè rectitudo voluntatis Christi non potest esse completa. — Hæc omnia constant ex dictis ubi de *Rectitudine voluntatis Adami.*

Excipienda tamen impossibilitas peccandi, quæ de Christo sic probari potest. 1. Christus erat Homo-Deus; ergo, si fuisset capax peccati, peccatum posset attribui Deo, vi communicationis idiomatum : quod repugnat. 2. Christus visione intuitivâ fruebatur, ergo erat impeccabilis.

Ex propositione præcedenti sequentia deducuntur corollaria :

Coral. I. In Christo voluntas rationis, seu deliberata, semper fuit conformis voluntati divinæ. Alioquin Christus non fuisset impeccabilis.

Dico : voluntas *rationis*. Nam voluntas *sensualitatis*, seu appetitus sensitivus, poterat appetere contra voluntatem Dei quæ erant sensibus commoda, refugere quæ erant sensibus incommoda, ut patet ex his verbis Christi tempore passionis : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nec dicatur indè sequi in Christo fuisse concupiscentiam, illi enim motus non exurgebant repugnante, sed consentiente ratione; aut deordinationem etiam materialem, hæc enim repugnantia appetitûs sensitivi contradicebat tantùm præceptivo positivo de passione Christi, de quo Verbum dispensare poterat et facto quoàd prædictos actus dispensabat.

Proindè libertas Christi non fuit *contrarietatis* ; alioquin Christus peccare potuisset. Proindè libertas Christi erat *contradictionis* tantùm, sufficiens tamen ad meritum. Christus enim poterat mereri, non quidem adimplendo præceptum cujus infractio vi præimpeccabilitatis, erat ipsi impossibilis; sed operando actus non præceptos, aut adimplendo opera præcepta ex motivo non præcepto, v. g. moriendo ex motivo charitatis, vel fortitudinis, vel patientiæ, vel misericordiæ, etc., vel ex motivo omnium istarum virtutum.

Corol. II. Christus habuit aliqualiter omnes virtutes naturales et supernaturales, dona Spiritûs Sancti, gratias gratìs datas.

Habuit virtutes naturales et supernaturales : ob rationes expositas ubi de *Rectitudine Adami*.—Dicimus : *aliqualiter*. Siquidem in Christo non fuerunt virtutes

quæ repugnant unioni hypostaticæ, visioni intuitivæ et perfectioni supernaturali et naturali. Sic in specie Christus non habuit fidem; fides enim est obscura cognitio, incompatibilis cum visione intuitivâ et scientiâ infusâ. Non habuit spem; spes enim supponit absentiam objecti ejus primarii, scilicet visionis *intuitivæ* quæ sperari non potest ab eo qui eam possidet. Non habuit pœnitentiam, quæ supponit peccatum proprium, quod erat in Christo impossibile.

Habuit dona Spiritûs Sancti : Donum Spiritûs S. est qualitas supernaturalis, quâ homo benè disponitur ad extraordinariam inspirationem divinam promptè recipiendam et exsequendam. Septem sunt infrà enumeranda. Christus habuit dona prædicta : Luc. 4, 1 : *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane; et agebatur à Spiritu in desertum.* Ergo Christus movebatur à Spiritu Sancto; ergo, cùm fuerit secundum omnia perfectus, benè disponebatur ad recipiendam et sequendam ejus actionem; alioquin non fuisset perfectè Deo subjectus, nec proindè rectus. Isai. 11, 2 : *Requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus sapientiæ et intellectûs, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.*

Habuit gratias gratìs datas: Gratia gratìs data est donum supernaturale homini gratuitò datum, ad proximi salutem directè ordinatum, v. g. gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, etc. Porro Christus habuit illas gratias. Fuit enim spiritualis doctrinæ et fidei primus, principalis et perfectus doctor; ergo habuit omnia dona ad hunc finem ordinata, alioquin in Ipso non fuis-

sent omnia ad voluntatem divinam exsequendam necessaria, nec proindè posset dici rectus.

Corol. III. In Christo non fuit fomes ; id est, appetitus sensitivus et motus corporis in Christo non fuerunt inordinati. Nam 1° absentia fomitis fuit in Adamo innocente, à fortiori in Christo. 2° Si in Christo fuisset fomes, vi communicationis idiomatum dici posset Deum ad peccatum inclinari ; quod repugnat. 3° Motus concupiscentiæ, seu fomitis, sunt inordinati ; ergo ad peccatum imputabiles in eo qui potest et debet eos impedire. Ergo essent ad peccatum imputabiles personæ Verbi ; cùm potuerit eos impedire, ut evidens est ; debuerit, ipsi enim incumbebat cura humanitatem Christi dirigendi. Quod absurdum.

Undè passiones homini naturales non præveniebant actum deliberationis ipsius voluntatis ; quod insuper probatur his verbis Joan. 11, 33 : *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem... infremuit spiritu, et turbavit seipsum.*

Ad 2am scilicet : *Quo medio Christus obtinuerit rectitudinem voluntatis?*

Resp. Certum est Christum, præter virtutes morales acquisibiles, habuisse per infusionem privilegia prædicta. Hâc enim viâ solâ acquiruntur.

Controvertitur autem utrùm virtutes morales acquisiverit, an infusione habuerit.—Quidam affirmant Christum eas acquisivisse, quia hic modus virtutes obtinendi est perfectior (1). Alii probabiliùs affirmant virtutes morales Christo fuisse infusas (2). A primo enim concep-

(1) Ità, inter alios, Contenson, *de Incarnat.* diss. 5, specul. 2.

(2) Ità Suarez, *Comment.* disp. 19, sect. 11 ; Sylvius, in 3am part. q. 7, art. 2 ; Billuart, etc.

tionis instanti Christus non potuit per actus acquirere omnes habitus virtutum. Proindè, si acquisitæ fuissent, Christus aliquandiù his virtutibus privatus fuisset; quod admitti non potest, siquidem carentia illarum virtutum magis derogâret perfectioni Christi, quàm eam augeret acquisitio.

Quær. 3° *Utrùm habuerit immunitatem à dolore, morbo et morte?*

Resp. Christus non fuit immunis à dolore et morte, immunis autem fuit à morbo.

Non fuit immunis à dolore et morte : Nam 1. hæc immunitas repugnaret functionibus reparatoris; siquidem ex Scripturâ, Traditione, fide Ecclesiæ, Christus voluit homines per dolorem et mortem reparare. 2. Luc. 24, 26 : *Oportuit pati Christum et ità intrare in gloriam suam.* Rom. 8, 3 : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati;* ergo cum carne dolori et morti obnoxiâ. 3. Symb. Nicæn.: *Crucifixus etiam pro nobis.. passus et sepultus est.*

Immunis fuit à morbo : Morbus est defectus naturæ humanæ ad implendam reparatoris functionem non necessarius. Siquidem Christus poterat per dolorem et mortem satisfacere. Aliundè nihil probat illum subiisse morbum.

Dictis suprà de corpore Christi addendum. Inter Christum ex unâ parte, Adamum ejusque posteros ex alterâ parte existunt differentiæ sequentes. Adam nec patrem nec matrem habuit, posteri Adæ à patre et matre oriuntur per generationem, undè oritur amissio virginitatis. Christus autem quoàd humanitatem habuit matrem ex quâ natus est de Spiritu Sancto, et quæ

virginitatem non amisit nec *ante* partum, Isaï. 7, 14: *Ecce Virgo concipiet;* nec *in* partu, symb. Apost.: *Natus ex Mariâ Virgine* (manente virgine); nec *post* partum, ait enim Concil. Chalcedon.: *Virginitatem Mariæ à Christo sacratam esse etiam post partum, uterumque ejus fuisse obsignatum, ut nullius injuriæ indè pateret.* Aliundè ab Ecclesiâ appellatur *virgo* sine addito.

III. Adam habuit elementa statûs innocentiæ *extrinseca:* scilicet, *habitationem in paradiso, dominium juris et facti in creaturas exteriores.*

De *habitatione in paradiso* nihil dicendum. Evidens est enim Christum hoc privilegio privatum fuisse.

Quær. *Utrùm Christus dominium habuerit in res creatas?*

Resp. 1° In ordine *naturali,*—Christus habuit quoddam dominium excellens et quamdam potestatem in omnes res creatas, et in actiones hominum et Angelorum.

Prob. 1a. Hoc dominium habuit Christus, si in eo sit possibile, si Christum perficiat, nec repugnet functionibus reparatoris. Atqui 1. possibile est in Christo; Deus enim potuit illud ipsi concedere. 2. Humanitatem Christi perficit, illi omnia subjiciendo. 3. Non repugnat functionibus reparatoris. Equidem Christus ad reparandum hominem voluit præbere exemplum paupertatis, sed ad hunc finem sufficiens fuit privatio dominii terreni, splendoris externi et abundantiæ temporalium rerum.

Prob. 2a. Act. Ap. 10, 36: *Annuntians pacem per Jesum Christum (hic est omnium Dominus).* I Cor. 15,

27: *Omnia subjecta sunt ei... præter eum qui subjecit ei omnia.* Apostolus ad Hebr. 2, 8, exponit de Christo illud Psalm. 8, 7: *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Christus dicitur in Apocal. 1, 5: *Princeps regum terræ;* et 19, 16: *Habet in vestimento et in femore suo* (in humanitate, juxta explicationem communem) *scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.*

Dicimus: *dominium excellens.* Est enim immediatè à Deo, stabile et æternum; se extendens ad omnes creaturas, ad omnem usum tàm naturalem quàm supernaturalem; superius proindè dominio merè humano, quamvìs inferius dominio Dei absoluto.

Notandum tamen dominium Christi non excludere alia dominia, sicut supremum Dei dominium non excludit privata dominia.

2° In ordine *supernaturali,* — Christus habuit omnem potestatem requisitam ad exercendas functiones ipsi impositas. Porro multæ sunt Ipsius functiones.

In specie Christus est Ecclesiæ *Caput.* Coloss. 1, 18: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ;* in eam proindè potest influere vitam.

Mediator. I Tim. 2, 5: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Sacerdos. Hebr. 8, 1: *Talem habemus pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis.* Ergo potest reconciliare hominem cum Deo, ipsis à Deo obtinere gratias per mediationem sacerdotalem.

Rex, Legislator et *Judex.* Rex: Joan. 18, 37: *Dixit ei Pilatus: ergo rex es tu? respondit Jesus: tu dicis*

quia rex sum ego. Porro si rex, ergo legislator et judex. Aliundè, Matth. 28, 19 : *Docete... eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Act. Ap. 10, 42 : *Ipse est qui constitutus est rex vivorum et mortuorum ;* ergo in Ecclesiam summam potestatem habet. Quod confirmatur facto ; siquidem Ecclesiam fundavit, leges imposuit, sacramenta instituit, Apostolos ordinavit et ad prædicandum misit, in ultimo judicio reddet unicuique juxta opera sua.

§ III. — DE PROPRIETATIBUS UNIONIS HYPOSTATICÆ, ET EX UNIONE HYPOSTATICA IN CHRISTO SEQUENTIBUS.

1°— De proprietatibus unionis hypostaticæ.

Unio hypostatica considerari potest 1° quoàd rationem existendi, 2° quoàd durationem, 3° quoàd modum.

I. De unione hypostaticâ quoàd rationem existendi.

Duplex potest esse ratio rerum : necessitas et actio libera ; et, in secundâ hypothesi, actio ipsa rationem habet in motivo determinante voluntatem. Undè quærendum : Utrùm Incarnatio fuerit necessaria vel libera, et, in secundâ hypothesi, quodnam fuerit ejus motivum ?

Ad 1am q. part. scilicet : *Utrùm Incarnatio fuerit necessaria vel libera ?*

Resp. Vel agitur de necessitate *absolutâ*, vel de necessitate *hypotheticâ*.

I. Si de necessitate *absolutâ :*

R. negativè. Nam 1° unum est absolutè necessarium,

scilicet Deus, ipsiusque infinita perfectio. Ergo 1. si Incarnatio fuisset necessaria, Deus non potuisset esse perfectus absque incarnatione, ac proindè absque operibus externis, cùm incarnatio sit opus ad extrà. Ergo 2. Deus ante Incarnationem non fuisset perfectus. Quæ sunt absurda., 2° II Joan. 4, 9 : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Ergo Incarnatio fuit opus charitatis et misericordiæ, proindè non necessaria.

II. Si de necessitate *hypotheticâ :*

Quæstio proposita includit sequentes : utrùm incarnatio fuerit necessaria 1. in hypothesi creationis, 2. in hypothesi lapsûs hominis, 3. in hypothesi reparationis simplicis, 4. in hypothesi reparationis per satisfactionem æquivalentem et perfectam ?

1° Utrùm... in hypothesi *creationis?*

R. Incarnatio non erat necessaria. Si necessaria fuisset in hypothesi creationis, maximè, ut volunt quidam, quia positâ creatione, Deus teneretur ad optimum. Porro hæc ratio falsa est. Ex eâ nempè sequeretur Deum per decretum creationis amisisse libertatem ; imò Deum in creando non fuisse liberum : nam, si teneatur ad optimum post decretum creationis, à pari ante decretum; tenebatur proindè ad creationem, cùm creatio melior sit nihilo. Sequeretur mundum actualem inter omnes mundos possibiles esse perfectissimum. Quod falsum.

2° Utrùm... in hypothesi *lapsûs* hominis?

R. Incarnatio non est necessaria. Siquidem 1. lapsus hominis fuerat liber, ac proindè Deus ad hominem

reparandum non tenebatur. 2. Etiam positâ necessitate reparationis, Deus potuisset alio modo reparare hominem ; scilicet ipsi concedendo gratias quibus adduceretur ad pœnitentiam, quâ positâ, Deus gratuitò veniam et reparationem concedere potuisset (ut diximus ubi *de Statibus*).

3° Utrùm... in hypothesi *reparationis simplicis?*

R. Incarnatio non erat necessaria. Siquidem Deus poterat hominem per alium medium reparare, ut suprà diximus.

4° Utrùm... in hypothesi *reparationis per satisfactionem æquivalentem, et perfectam?*

R. Necessaria est incarnatio.

Prænot. Satisfactio est redditio honoris alteri liberè facta. *Redditio honoris:* id est, exhibitio reverentiæ in compensationem injuriæ ; *facta alteri:* injuria enim, ac proindè satisfactio duas saltem personas supponit; *liberè:* alioquin existeret satispassio, non verò satisfactio. — Ut satisfactio sit *æquivalens*, requiritur ut honor redditus æquivaleat injuriæ illatæ. Ut sit *stricta*, insuper requiritur ut fiat ex propriis et aliàs indebitis. Quo posito,

Prob. Necessaria est incarnatio (seu saltem unio hypostatica naturæ divinæ et creatæ) si ex unâ parte, nec Deus purus, nec creatura pura possint satisfactionem æquivalentem et perfectam offerre ; si ex alterâ parte, creatura hypostaticè unita fuerit capax hujus satisfactionis. Atqui,

1° Deus purus non potest... siquidem est incapax subjectionis et meriti ac proindè omnis satisfactionis. — Creatura pura non potest. 1. offerre satisfactionem

æquivalentem : crescit enim injuria pro dignitate offensi et pro vilitate offendentis; proindè quasi infinita est injuria illata Deo per peccatum hominis, ergo creatura non potest offerre satisfactionem æquivalentem huic injuriæ. Non potest 2. offerre satisfactionem perfectam: siquidem satisfactio perfecta exigit omnes conditiones satisfactionis æquivalentis, insuper fieri debet ex propriis et aliàs indebitis, porro creatura habens omnia à Deo, omnia debet Deo.

2° Creatura hypostaticè unita personæ divinæ est capax satisfactionis : infrà probabitur.

Ex dictis constat liberam Dei voluntatem fuisse rationem incarnationis.

Ad 2am q. part. scilicet : *Quodnam fuerit motivum incarnationis?*

Resp. Certum est incarnationem ordinatam fuisse proximè ad redemptionem, sanctificationem, glorificationem generis humani ; ultimò ad gloriam Dei, qui omnia propter semetipsum operatur.

Controvertitur autem quisnam ex finibus proximis fuerit præcipuus ; an redemptio generis humani, an verò ipsius sanctificatio et glorificatio. Undè exsurgit alia quæstio : *Utrùm vi præsentis decreti, homine non peccante, Verbum incarnatum fuisset, an non?*

De hàc quæstione duplex opinio. *Prima*, Scotistarum, affirmat finem principalem incarnationis fuisse sanctificationem et glorificationem humanitatis : undè Verbum incarnatum fuisset, homine etiam non peccante (1).

(1) Ità Scot. in 3, dist. 7, q. 3 ; Albert. magn. in 3am, dist. 7 ; Catharinus ; Suarez *de Incarn.* disp. 5, sect. 5; Isamb. etc.

Secunda, D. Thomæ, affirmat finem principalem incarnationis fuisse reparationem hominis: undè, homine non peccante, Verbum non fuisset incarnatum (1).

Probabilior videtur opinio quæ affirmat reparationem hominis fuisse finem præcipuum incarnationis.

Prob. Incarnatio procedit ex liberâ voluntate Dei. Ergo ipsius motivum non ratione, sed revelatione tantùm innotescere potest. Ergo admittenda est opinio affirmans reparationem hominis fuisse finem principalem Incarnationis, si magis congruat Scripturæ, Traditioni et doctrinæ Ecclesiæ. Porro magis congruit 1° Scripturæ: Luc. 5, 31: *Jesus dixit... non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam.* I Tim. 1, 15: *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* 2° Traditioni: S. Iren. lib. 5, adv. hær. 14, ait: *Si non haberet caro salvari, nequaquàm Verbum Dei caro factum esset.* Origen. hom. 24 in Num.: *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, sed mansisset hoc quod in principio erat, Deus Verbum.* S. August. serm. 8 de verbis Apostoli: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Ità multi alii SS. Patres. 3° doctrinæ Ecclesiæ: Symb. Nicæn.: *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto... et homo factus est.*

(1) Ità cum D. Thomâ, 3ª p. q. 1, art. 3, præcipuè Thomistæ, Tournely, *de Incarn.* q. 6, art. 1; Witasse, Legrand, etc.

II. De unione hypostaticâ quoàd durationem.

Quær. *Quænam sit unionis hypostaticæ duratio?*

Resp. Initium habuit à conceptione Christi, nunquàm desitura est.

Prob. 1ª *p.* Initium habuit à conceptione : Nam 1° Matth. 1, 23 : *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Filius Mariæ appellatur *Emmanuel* à conceptione. 2° VIum Concil. generale de animâ et corpore Christi ait : *Non ante suam cum Verbo unionem per seipsa unquam fuere, aut cujusquam alterius extiterunt, sed coætaneam habentia cum Verbi unione existentiam.*

2ª *p.* Nunquàm desitura est : Joan. 12, 34 : *Christus manet in æternum.* Hebr. 13, 8 : *Jesus Christus heri et hodiè, ipse et in sæcula.* Symb. Nicæn. : *Cujus* (Christi) *regni non erit finis.*

III. De unione hypostaticâ quoàd modum.

Quær. *Quomodò uniantur natura divina et humana in Christo?*

Resp. 1° Unio inter naturas facta fuit absque confusione naturarum, mediante Verbi personâ. — Facta fuit absque confusione : hæc propositio superiùs probata est. — Mediante Verbi personâ : alioquin, cùm natura divina in se considerata sit communis tribus personis, persona Verbi non fuisset unita naturæ humanæ vinculo strictiori quam persona Patris et Spiritûs Sancti ; quod fidei adversatur.

2° Licèt, in assumptione naturæ humanæ, Verbum

sit immediatè unitum carni sicut animæ, dicitur tamen assumpsisse corpus *mediante animâ*, in eo sensu quòd in ordine dignitatis et congruentiæ anima fuerit veluti causa media propter quam Verbum voluerit corpus assumere. — In assumptione naturæ humanæ Verbum immediatè unitur carni sicut et animæ; hæc est communis doctrina theologorum. Et non obscurum habet fundamentum in his verbis Symb. Apost.: (Christus) *sepultus est:* etenim, si Christus dicitur sepultus fuisse, ergo Verbum fuit in sepulchro immediatè unitum corpori, à quo per mortem aberat anima. Aliundè docet Ecclesia in Catech. Conc. Trid. 1 p. *de Symb.* art. 4, § 2, Verbum non deseruisse corpus Christi in triduo post mortem. — Dicitur tamen assumpsisse corpus *mediante animâ*... Ità communiter theologi, post D. Thomam (1).

2° — De proprietatibus Christi ex unione hypostaticâ sequentibus.

Eas per modum corollariorum deducimus.

Corol. I. Christus habuit omnes proprietates personæ Verbi speciales. Siquidem in Ipso naturæ divina et humana personalitate Verbi terminantur.

Corol. II. Christus ut homo est filius Dei naturalis, non verò adoptivus.

Naturalis dicitur filius, qui verè genitus est ab eo cujus appellatur filius; *adoptivus* autem qui, ab uno genitus, ab altero ex benevolentiâ assumitur in filium, ac proindè suscipit jura veri filii.

(1) Vid. Sylvius, in 3 p. q. 6, art. 1, in resp. ad 3; Cardin. Gerdil, *de adoranda humanitate Christi*, in t. 9 *Theol. curs. compl.* col. 923.

Porro Christus dicendus est filius Dei naturalis: Nam 1° in propositione: *Christus ut homo est filius Dei naturalis*, hàc voce *ut homo* designatur humanitas quatenùs terminata personalitate, quasi si diceretur de Christo: *hic homo, seu, persona, quæ subsistit in hâc humanitate*, est... Porro personalitas Christi est personalitas Verbi, Verbum autem est Filius Dei naturalis; ergo. 2° Rom. 8, 32: *Qui proprio Filio suo non pepercit*. Joan. 1, 14: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*. Joan. 3, 16: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret*.

Non potest dici filius Dei adoptivus: Nam 1° hæc appellatio *filius* designat personam, non verò naturam. Porro persona in Christo non potest dici filius Dei adoptivus; ex adoptionis enim notione repugnat filium naturalem esse simul filium adoptivum. 2° Ecclesia simpliciter damnavit hanc propositionem: *Christus ut homo est filius Dei adoptivus*. Ergo.

Corol. III. Christus ut homo est adorandus, ità ut unâ eàdemque adoratione adoranda sit Christi divinitas et humanitas.

Siquidem 1° Christus est Filius Dei naturalis; ergo adorandus. Quandò autem adoratur persona, eàdem simul adoratione adorantur omnia quæ sunt aliquid ejus, quæ communicant eidem esse et subsistere; porro humanitas in Christo constituit unum totum subsistens, idemque esse personale cum Verbo. Ergo. 2° Philip. 2, 9: *Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum*. Joan. 5, 23, Pater vult *ut omnes honorificent Filium, sicut*

honorificant Patrem; porro Pater est adorandus. 3° Conc. generale V anathema dicit ei qui *unâ adoratione Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne non adorat.*

Notat Billuart, dissert. 23 *de adorat. Christi*, art. 2: « Hanc adorationem humanitatis non debere dici relativam, sicut ea quæ defertur imagini Christi, sed propriam et absolutam, quia adoratur persona cujus est natura, totum cujus est pars, adeoque... ipsa ut pars totius adorati terminat etiam adorationem, secundariò tamen et minùs principaliter, quia adoratur non propter seipsam, sed propter Verbum conjunctum, ad quod primariò et principaliter terminatur adoratio (1). »

Corol. IV. In Christo duæ sunt voluntates et operationes liberæ, redactæ ad unitatem personæ per subjectionem voluntatis humanæ erga voluntatem et personalitatem divinam.

Duplex est voluntas et operatio: Nam 1° Christus possidet naturam divinam et humanam; ergo voluntatem et operationem divinam et humanam. 2° Christus possidet naturam divinam; ergo voluntatem et operationem divinam, cùm Deus voluntate suâ et operatione suâ privari non possit. Ergo in Christo duplex voluntas et operatio admittenda est, si Christus habeat voluntatem et operationem humanam. Atqui 1. pro nobis satisfecit et meritus est; porro meritum in Christo supponit voluntatem et actionem liberam humanitatis. 2. Luc. 22, 42: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Philip. 2, 8: *Factus obediens usque ad mortem.* Ergo in Christo

(1) Vid. etiam Sylvium, in 3 p. q. 25, art. 2, et opusc. præcit. Cardin. Gerdil.

existit voluntas distincta à voluntate Patris, quæ non potest esse nisi humana, cùm una sit voluntas tribus Personis divinis. 3. VI Concil. gener. docet *duas voluntates in eo* (Christo), *et duas naturales operationes, indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, secundum Sanctorum Patrum doctrinam prædicandas.*

Redactæ ad unitatem personæ... Ratione unionis hypostaticæ, voluntas humana, quamvis libertatem conservaverit, subjecta fuit voluntati divinæ, ità ut cessaverit esse suî juris, proindè personalitatem amiserit.

Corol. V. Christus fuit capax meriti infiniti.

Fuit capax meriti : possidebat enim voluntatem humanam liberam ac proindè meriti capacem. Meriti infiniti : siquidem, vi unionis hypostaticæ, meritum Christi erat meritum personæ infinitæ, meritum proindè valoris infiniti.

Corol. VI. Admittenda est communicatio idiomatum in concreto, rejicienda verò in abstracto.

Communicatio idiomatum est naturæ divinæ et humanæ, earumque proprietatum de se invicem mutua prædicatio. Est *in concreto*, cùm naturæ et earum proprietates de se invicem prædicatæ supponunt personalitatem unicam Verbi. Est *in abstracto*, cùm naturæ et proprietates de se invicem prædicantur verbis quæ abstrahunt personam. Porro,

1° Admittenda communicatio idiomatum *in concreto:* Christus enim est persona habens naturam divinam et humanam ; de eo proindè sub respectu personali considerato possunt affirmari natura divina et humana, proprietates divinæ et humanæ.

2° Rejicienda verò communicatio idiomatum *in abs-*

tracto: In unicâ enim personâ Christi inconfusæ manent natura divina et humana, proprietates divinæ et humanæ; proindè de se invicem prædicari non possunt. Porrò affirmarentur in communicatione idiomatum in abstracto, cùm verba abstracta designent naturam sepositâ personâ.

Sic licet dicere: *Deus est homo, homo est Deus;* hæc enim propositio significat: eadem persona habet naturam divinam et humanam; — *Deus est natus, passus, mortalis; homo est immortalis, æternus;* id est, eadem persona habet naturam divinam et proprietates humanas, naturam humanam et proprietates divinas; — *mortalis est immortalis, æternus est temporalis;* id est eadem persona habet proprietates divinas simul et humanas.

Non licet autem dicere: *deitas est humanitas, immortalitas est mortalitas, Deus est mortalitas.* Significant enim propositiones illæ: natura divina est natura humana; immortalitas (proprietas divina) est mortalitas (proprietas humana); mortalitas (proprietas humana) pertinet ad naturam divinam.

Præter corollaria præcedentia de Christo, ex unione hypostaticâ erui potest corollarium sequens de Beatâ Virgine:

Corol. B. Virgo Maria est verè Mater Dei.

Nam 1° mulier verè appellatur *mater* hominis, quia gignit corpus hypostaticè unitum personalitati humanæ. A pari B. Virgo appellari potest in sensu stricto Mater Dei, quia est mater hominis qui hypostaticè unitur personæ Verbi. 2° *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet*

filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Hic textus Isaïæ 7, 14, à S. Matth. Christo applicatur. Luc. 1, 35: *Quod nascetur ex te sanctum; vocabitur Filius Dei.* Christus ex B. Mariâ V. natus appellatur *Deus;* ergo B. Virgo est Mater Dei. 3° Concil. Ephesinum hæc habet: *Si quis non confitetur Emmanuelem verè Deum esse, et ob id Sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa Incarnatum Patris Verbum secundum carnem), anathema sit.*

III. — DE ACTIBUS VERBI INCARNATI.

Homo per peccatum offenderat Deum, amiserat privilegia statûs innocentiæ essentialia et accidentalia. Reparatio perfecta et completa generis humani exigebat ergo satisfactionem perfectam, redditionem omnium privilegiorum statûs innocentiæ.

Deus poterat hæc omnia per Verbum Incarnatum præstare. Christus enim, utpotè Homo-Deus, poterat satisfactionem perfectam Deo offerre, homini per actus suos mereri redintegrationem in omnia statûs innocentiæ privilegia. Noluit autem completè hominem reparare. Sic, ut facto constat, noluit homini restituere scientiam perfectam, immunitatem ab errore, rectitudinem voluntatis, saltem in eo sensu quòd destruxerit fomitem; immunitatem à morbo, dolore, morte; habitationem in paradiso voluptatis, dominium facti in res inferiores.

Per Christum Deus voluit tantùm obtinere satisfactionem perfectam; restituere generi humano privilegia

statùs innocentiæ essentialia, scilicet jus ad visionem intuitivam, gratiam habitualem, gratias actuales; mentem humanam erroribus sanare, novis veritatibus illuminare et ad bonum perfectiùs dirigere.

Ad hunc scopum ordinantur actus Christi sequentes: 1° Christus Deo satisfacit; 2° hominibus meretur vitam æternam et media ad eam obtinendam, scilicet jus ad visionem intuitivam, ad gratiam habitualem, ad gratias actuales; 3° prædictas gratias influit; 4° mentem humanam sanat, illuminat et dirigit per doctrinam. Et, ad perpetuandos usque ad consummationem sæculi prædictarum institutionum effectus, creat et constituit sub auctoritate supremâ Unius Capitis vices suas gesturi (S. Pontificis), Sacerdotium cui committit ministerium sacrificii, facultatem communicandi gratiam per sacramenta, auctoritatemque verbi infallibilem.

Sicut autem omnes *per unum* et *in uno* homine mortui erant, Deus voluit ut *per unum* et *in uno* omnes vivificarentur. Ideò constituit Christum Caput hominum et angelorum.

Cùm actus iste in alios influat, de illo prævié dicendum; deindè actus Christi juxta ordinem sunt exponendi.

De quolibet actu tria sunt examinanda: 1° existentia, 2° proprietates, 3° consectaria et effectus.

ACTUS PRÆVIUS.

DEUS CONSTITUIT CHRISTUM CAPUT HOMINUM ET ANGELORUM.

§I. — De Existentiâ.

Quær. *Utrùm Deus constituerit Christum caput hominum et angelorum?*

Resp. affirmativè.

Prob. Vera responsio, si Christus sit 1. caput hominum, 2. caput angelorum, 3. auctoritate divinâ. Atqui,

1ª *p*. Christus est caput hominum: Nam 1° Rom. 12, 4: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo.* I Cor. 12, 12: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.* Undè sic: homines constituunt unum corpus mysticum in Christo; ergo homines habent caput mysticum; ergo Christus est caput hominum, si habeat erga corpus mysticum hominum omnes capitis dotes, atqui hoc est certum. Caput enim est prima et perfectior pars hominis, vitam, motum directionemque influens in alia membra. Porro Christus est 1. corporis mystici pars prior, non tempore quidem, sed propinquitate ad Deum; dicitur aliundè *primogenitus in multis fratribus* (Rom. 8, 29); 2. pars perfectior quoàd vitam spiritualem: *vidimus eum plenum gratiæ et veritatis* (Joan. 1, 14); 3. influens aliis membris vitam spiritualem, seu gratiam: *de plenitudine ejus omnes nos accepimus* (Joan. 1, 16); 4. influens directionem per leges quas instituit.

2° Ephes. 1, 22: *Suscitans illum à mortuis... omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Ibid. 4, 15: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum et connexum...*

2ª *p*. Est caput angelorum. Nam 1° Christus est prior et perfectior angelis, ob rationes superiùs alla-

tas. In angelos influit augmentum vitæ supernaturalis, scilicet, gloriam accidentalem, notitiam perfectiorem attributorum Dei, ut infrà dicemus. Ergo possidet omnes dotes capitis erga angelos, proindè est eorum caput.
2° Col. 2, 10: *Estis in illo repleti qui est caput omnis Principatûs et Potestatis.* I Petr. 3, 22: *Qui est in dexterâ Dei... profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis et Potestatibus et Virtutibus.*

3ª *p.* Christus est caput hominum et angelorum auctoritate divinâ: Ephes. 1, 22: *Ipsum dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam.*

§ II. — De Proprietatibus.

Dicendum 1° de terminis, 2° de naturâ, 3° de intensitate, 4° de duratione unionis prædictæ.

I. De Terminis.

Unio existit inter *Christum* ex unâ parte, *angelos* et *homines* ex alterâ parte.

I. De primo hujus unionis termino, seu de Christo capite, — quæritur: 1° utrùm Christus sit caput Ecclesiæ quatenùs est homo, an quatenùs est Deus; 2° utrùm Christus secundum animam, an secundum corpus, an simul secundum corpus et animam sit caput Ecclesiæ?

Ad 1um, scilicet: *Utrùm Christus sit caput Ecclesiæ quatenùs est homo, an quatenùs est Deus?*

Resp. Christus est caput Ecclesiæ quatenùs est homo. Nam, Ephes. 1, 22: *Suscitans illum à mortuis omnia subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Undè sic: 1.

Christus est caput Ecclesiæ quatenùs est suscitatus, ergo quatenùs est homo. 2. Dignitate capitis acquisivit superioritatem quam anteà non possidebat, *omnia subjecit;* porro Christus, quatenùs est Deus fuit semper angelis hominibusque superior; ergo Christus constitutus est caput ratione humanitatis tantùm.

Ex his sequitur angelos et homines uniri immediatè Christo quatenùs est homo, et mediatè quatenùs est Deus. Siquidem humanitas Christi unitur hypostaticè personæ Verbi, proindè naturæ divinæ; ergo angeli et homines immediatè uniti Christo quatenùs est homo, Ipsi mediatè uniuntur quatenùs est Deus.

Ad 2um, scilicet: *Utrùm Christus secundum animam, an secundum corpus, an simul secundum corpus et animam sit caput Ecclesiæ?*

Resp. Christus est caput Ecclesiæ simul secundum animam et corpus. Siquidem tota Christi humanitas est instrumentum divinitati conjunctum ad salutem hominis; v. g. per orationem meruit gratiam, per dolores et mortem redemit hominem.

II. De secundo unionis termino, scilicet de membris Christi, seu de angelo et homine, — quæritur: 1° utrùm omnes angeli et homines sint membra Christi; 2° specialiter utrùm homines sint membra Christi quoàd animam et quoàd corpus?

Ad 1um, scilicet: *Utrùm omnes angeli et homines sint membra Christi?*

Resp. Certum est omnes angelos et homines lapsos, exceptis dæmonibus et damnatis, aliquo sensu esse membra Christi. Christus enim est caput omnium qui ab Ipso influxum supernaturalem recipiunt; porro om-

nes, angelis et hominibus damnatis exceptis, à Christo eum diversà intensitate recipiunt influxum supernaturalem, ut infrà videbimus.

Controvertitur autem utrùm Adam et Eva in statu innocentiæ fuerint membra Christi. — Affirmant *Scotistæ*. Juxta eos, incarnatio immediatè et primariò ordinatur ad sanctificationem hominum; undè omnes gratiæ concessæ homini non solùm peccatori sed etiam innocenti ex incarnatione manant. Negant *Thomistæ*. Nam, juxta eos, incarnatio immediatè et primariò ordinatur ad reparationem hominis; undè gratia homini peccatori tantùm non verò innocenti ex incarnatione manat. Probabilior opinio Thomistarum, ex suprà dictis.

Ad 2um, scilicet: *Utrùm homines sint membra Christi quoàd animam et quoàd corpus?*

Resp. Homo est membrum Christi, non solùm quoàd animam cui Christus influit gratiam, ut infrà videbimus; sed etiam quoàd corpus, testante Apostolo qui, 1 Cor, 6, 15, corpora nostra appellat *membra Christi*. Per influxum enim suum Christus facit corpora nostra instrumenta justitiæ ad opera exteriora virtutum, et in patriâ ipsis influit immortalitatem et cæteras gloriæ dotes.

II. De Naturâ.

Quær. *Quænam sit natura unionis inter Christum et sua membra mystica?*

Resp. Hæc unio non est hypostatica, sed tantùm *moralis*, ut evidens est. Concipitur analogicè per relationes inter caput hominis ejusque membra. Sicut enim caput influit internè aliis membris vitam et motum per media

à Deo ad hunc finem instituta, et directionem externam ne aberrent in actibus externis; ità Christus, caput Ecclesiæ, suis membris influit vitam supernaturalem per gratiam, directionem externam per leges.

III. De Intensitate.

Quær. *Utrùm intensitas unionis inter Christum et ipsius membra sit eadem in omnibus membris, an diversa?*

Resp. Intensitas unionis est diversa. Ipsius gradus cum ordine suo propositionibus sequentibus exprimi potest:

1° Christus conjungitur *actu:* 1. angelis, ipsis enim communicat lumen gloriæ accidentale; 2. sanctis, ipsis enim communicat lumen gloriæ essentiale, seu vitam supernaturalem, in suo gradu perfecto; 3. iis qui possident gratiam sanctificantem, siquidem cum *gratiâ* illis influit fidem, spem, charitatem et alios habitus supernaturales infusos, quæ omnia sunt viatori principia vitæ supernaturalis; 4. iis qui possident habitus fidei et spei, vel tantùm fidei, siquidem spes et fides sunt principia actuum supernaturalium, sed incompleta sine charitate.

2° Conjungitur *potentiâ* tantùm: iis qui nequidem fide informati sunt; et inter eos, primo loco his quibus posteà unietur, secundo loco his quibus posteà non unietur, sive sint adulti, sive infantes.

IV. De Duratione.

Quær. *Quænam sit duratio prædictæ unionis?*

Resp. Unio Christi cum angelis est æterna. Cum ho-

minibus incipit à primo vitæ instanti; perseverat cum diversis intensitatis gradibus, durante vitâ, eâque finiente, desinit in damnatis, fit perpetua in beatis.

§ III. — De Consectariis.

Quær. *Quænam sint consectaria unionis Christi et Ecclesiæ?*

Resp. Per unionem Christi cum Ecclesiâ, qui ad eam pertinent fiunt membra Christi. Specialiter homines elevantur ad consortium divinæ naturæ, proindè ad statum in se superiorem statui innocentiæ, quia strictiori vinculo Deo uniuntur.

Per illam constituitur communio meritorum inter Christum et homines, communio meritorum hominum inter se, seu *communio sanctorum;* quia in uno corpore quodlibet membrum participat bonum totius corporis.

Per illam possibilis redditur influxus supernaturalis Christi in omnes homines, cùm influxus vitalis capitis in membra sequatur ex unione membrorum cum capite.

ACTUS I.

CHRISTUS DEO SATISFACIT.

De illo dogmate errârunt: 1° Pelagiani, juxta quos, satisfactio Christi in eo tantùm sita fuit quòd reparator hominibus reliquerit exempla et præcepta justitiæ. Eumdem renovavit errorem Abailardus, teste S. Bernardo. 2° Sociniani, qui affirmabant Deum ab hominibus satisfactionem non exegisse, gratìs verò peccatum remisisse.

Dicendum, ut suprà indicavimus, 1° de existentià, 2° de proprietatibus, 3° de consectariis satisfactionis Christi.

§ I. — De Existentiâ.

Quær. *Utrùm Christus pro hominibus satisfecerit?*

Resp. Affirmativè.

Prob. 1ª. I Petr. 2, 24 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus : Cujus livore sanati sumus.* Eph. 1, 7 : *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus.* Rom. 3, 24 : *Justificati gratìs per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Hebr. 10, 4 : *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mundum dicit : hostiam et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi : holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me : ut faciam Deus voluntatem tuam... In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* I Joan. 2, 2 : *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Undè sic : Christus peccata nostra pertulit in corpore suo, ut justitiæ vivamus ; ejus livore sanati sumus ; per ejus sanguinem et gratiam redempti, justificati, sanctificati sumus ; factus est propitiatio pro peccatis nostris, etc. Ergo.

Prob. 2ª. Conc. Trid. sess. 14, cap. 8 : *Qui* (Christus Jesus) *pro peccatis nostris satisfecit.*

§ II. — De Proprietatibus.

Satisfactio considerari potest ratione 1° valoris, 2° auctoris, 3° medii, 4° subjecti, 5° perfectionis.

I. Ratione Valoris.

Quær. *Quisnam sit valor satisfactionis Christi; an sit finitus, an infinitus?*

Resp. Est infinitus. Satisfactio enim operata est per actus Christi; porro actus Christi sunt valoris infiniti, cùm sint actus personæ infinitæ.

II. Ratione Auctoris.

Quær. *Utrùm satisfactio Christi sit divina an humana;* id est, *utrùm attribuenda sit divinitati, an humanitati?*

Resp. Opera satisfactoria in se attribuenda sunt naturæ humanæ, ipsorum infinitas personæ et naturæ divinæ.— Opera satisfactoria attribuenda sunt naturæ humanæ: Deus enim per se mereri et satisfacere non potest. Infinitas satisfactionis personæ et naturæ divinæ: siquidem satisfactio hominis puri est essentialiter finita. Undè dicendum Christum satisfecisse quatenùs est homo personæ Verbi hypostaticè unitus.

III. Ratione Medii.

Certum est Christum satisfecisse per actus suos.

Quær. autem *utrùm satisfactio operata sit per omnes, an solùm per quosdam actus Christi?*

Resp. Satisfactio inchoata per actus Christi qui passionem præcesserunt, per passionem et mortem consummata est. — Inchoata per actus præcedentes passionem: satisfactioni Christi concurrerunt omnes actus quos Christus ad hunc finem ordinavit; porro ad satisfactionem omnes actus suos ordinavit, siquidem redemptio hominis ac proindè satisfactio fuit scopus præ-

cipuus Incarnationis.—Consummata est per passionem et mortem : Potuisset equidem Christus per unum actum satisfactionem consummare, cùm quilibet actus ipsius sit infinitus valore ; textibus autem suprà citatis constat Christum voluisse hominis redemptioni applicare omnes actus suos, satisfactionemque per passionem et mortem consummare.

IV. Ratione Subjecti.

Quær. *Utrùm satisfactio Christi fuerit universalis nec ne ;* seu, quod idem est, *utrùm Christus pro omnibus satisfecerit, an solùm pro quibusdam?*

Resp. 1° De fide est Christum satisfecisse pro aliis quàm prædestinatis. Siquidem ab Innocentio X et Alexandro VII, in Constitutionibus ab Ecclesià universali acceptatis, damnata est ut hæretica propositio sequens : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse*, in eo sensu intellecta quòd Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit.

2° Certum est, et proximum fidei, Christum pro omnibus hominibus satisfecisse.

Pr. 1ª. I Joan. 2, 2 : *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* I Tim. 2, 16 : *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Pr. 2ª. Ex fide et doctrinà Ecclesiæ. Symb. S. Athan. : *Qui* (Christus) *passus est pro salute nostrà.* Symb. Nicæn. : *Qui* (Christus) *propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis... crucifixus etiam pro*

nobis. Undè sic : omnes homines fide divinâ credere debent veritates in symbolis fidei inclusas ; ergo quisque fide divinâ credere debet Christum pro se passum et crucifixum esse, ergo certa propositio nostra.

Pr. 3ª. Propositio superiùs exposita : *semipelagianum est dicere*... in sensu obvio damnata est ut falsa, temeraria et scandalosa.

Pr. 4ª. Concil. Trid. sess. 6, cap. 3 : *Verùm, etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur*.

V. Ratione Perfectionis.

Quær. *Utrùm perfecta fuerit satisfactio Christi?*

Resp. 1º Certum est satisfactionem Christi fuisse perfectam erga Patrem et Spiritum Sanctum.

Ad satisfactionem perfectam, ex dictis, requiritur et sufficit ut sit æquivalens injuriæ, libera, ad alterum, ex propriis et aliàs indebitis. Porro satisfactio Christi erga Patrem et Spiritum Sanctum est 1. æquivalens, imò superabundans, cùm ex unâ parte satisfactio per actus Christi sit valoris infiniti, et ex alterâ parte peccatum sit in se finitum ; 2. libera : Is. 53, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit*. Philip. 2, 8 : *Factus obediens usque ad mortem* ; 3. ad alterum : Christus enim personalitate distinguitur à Patre et Spiritu Sancto ; 4. ex propriis et aliàs indebitis : siquidem persona Filii, utpotè divina, est independens, habet dominium actuum suorum.

2º Controvertitur autem utrùm satisfactio Christi fuerit perfecta erga Verbum.

Duplex opinio. — *Prima* negat. Quia in satisfactione Christi erga Verbum nulla fuisset alteritas; cùm Christus homo, quatenùs personæ Verbi unitus, Verbo satisfecisset. Ut autem salvetur, quantùm fieri potest, perfectio satisfactionis, juxta hujus opinionis sectatores, Verbum satisfactioni sibi debitæ renuntiavit. *Secunda*, communior, affirmat satisfactionem Christi erga Verbum fuisse perfectam. Nam Rom. 3, 25: *Quem* (Christum) *proposuit Deus ad ostensionem justitiæ suæ* (sine addito). I Cor. 1, 30: *Christus nobis factus est... justitia... redemptio*. Nomina abstracta habent in Scripturâ vim significandi perfectionem rei significatæ; ergo Christus est nobis *justitia* et *redemptio* absolutè, proindè satisfactio est perfecta sub omni respectu, proindè erga Verbum.

Ad explicandam perfectionem satisfactionis Christi erga Verbum, quidam in Christo distinguunt duplicem æquivalenter personam, Verbum scilicet quatenùs unitum naturæ humanæ, et Verbum quatenùs inest naturæ divinæ. Verbum sub priori respectu consideratum satisfecit Verbo considerato sub posteriori respectu. — Juxta alios, natura humana potuit satisfacere Verbo, seu actus suos offerre Verbo in reparationem injuriæ 1. liberè: amittendo enim personalitatem, non amisit libertatem; 2. cum alteritate: distinguuntur in Christo natura divina et humana; 3. æquivalenter: ex unione hypostaticâ sequitur valor infinitus actuum; 4. ex propriis et aliàs indebitis: Christus enim satisfecit per valorem infinitum actionum suarum. Qui valor, quamvis fluxerit ex dono unionis hypostaticæ, erat proprius humanitatis Christi; quia, positâ unione hypostaticâ, in-

hærebat actibus Christi essentialiter, non verò per modum doni gratuiti. Sic lucrum ex mutuo gratuito proveniens pertinet ad mutuatarium, non verò ad mutuantem.

§ III.—De Consectariis.

Quær. *Quænam sint consectaria satisfactionis Christi?*

Resp. 1° Erga Deum : superabundanter reparat injuriam ipsi illatam per peccatum originale et actuale.

2° Erga hominem : ipsi meretur gratiam justificantem, per quam in eo exstinguitur peccatum.

ACTUS II.

CHRISTUS MERETUR.

§ I.—De Existentiâ meritorum Christi.

Prænot. Meritum est qualitas quâ opus bonum fit præmio dignum ex justitiâ, vel decentiâ. Undè duplex meritum 1. *de condigno*, si præmium debeatur ex justitiâ, 2. *de congruo*, si ex decentiâ.

Quær. *Utrùm Christus per actus suos meruerit?*

Resp. Affirmativè.

Prob. 1ª. Ex dicendis, ad meritum requiritur : *ex parte actûs*, ut sit liber, bonus, supernaturalis quoàd principium, et juxta opinionem probabiliorem, quoàd motivum ; *ex parte merentis*, ut sit in viâ, et, si agatur de merito de condigno, possideat gratiam habitualem ; *ex parte Dei*, ut mercedem operi promiserit, si agatur de merito de condigno ; congruat à Deo concedi mercedem, si agatur de merito de congruo. Ergo Christus

*

meruit, si actus Ipsius his omnibus conditionibus vestiantur. Atqui,

Actus Christi sunt 1. liberi, nam humanitas Christi libertate fruebatur ; 2. boni, Christus enim erat impeccabilis ; 3. supernaturales quoàd principium et motivum, Christus enim et pari ratione actus Christi possidebant omnes perfectiones naturales et supernaturales cum ipsius naturâ et functionibus compossibiles, porro actus supernaturalis quoàd principium et motivum perfectior est actu merè naturali aut supernaturali sub respectu principii vel motivi tantùm.

Christus 1. erat in viâ : finem quidem obtinuerat, in eo sensu quòd visione intuitivâ fruebatur ; erat autem in viâ in eo sensu quod debebat mereri sibi glorificationem corporis, exaltationem suæ humanitatis, angelis gloriam accidentalem, hominibus visionem intuitivam et media ad eam obtinendam necessaria ; 2. possidebat gratiam sanctificantem, aut saltem gratiam unionis quâ Deo gratus erat, ut suprà diximus.

Deus actionibus Christi mercedem promiserat : hanc mercedem promisit Deus multis actibus humanis in genere, positis ponendis, ut infrà dicemus sub titulo *de Merito ;* ergo actibus Christi.

Prob. 2ª. Ex fide Ecclesiæ.

Prob. 3ª. Ex Concil. Trid. sess. 6, can. 10 : *Si quis dixerit homines sine Christi justitiâ per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse ; anathema sit.*

§ II. — De Proprietatibus.

Meritum considerari potest ratione 1° valoris, 2° auctoris, 3° medii, 4° subjecti et objecti,

I. Ratione Valoris.

Quær. *Quisnam fuerit valor meritorum Christi?*

Resp. Valor meritorum Christi fuit infinitus.

Undè meritum Christi fuit de condigno rigoroso, seu habens per se valorem æqualem ad præmium. Quod infrà explicabitur ubi *de Merito.*

II. Ratione Auctoris.

Quær. *Utrùm meritum Christi sit divinum et humanum?*

Resp. Meritum Christi in se est humanum; quoàd valorem infinitum, est divinum.

III. Ratione Medii.

Certum est Christum meruisse per actus suos.

Quær. autem *utrùm meruerit per omnes actus, an per quosdam tantùm?*

Resp. Christus à primo conceptionis instanti meritus est per omnes et solos actus humanitatis liberos. Ipsius autem meritum non fuit consummatum, nisi per mortem voluntariam.

Prob. 1ª *p.* Christus meritus est per omnes actus humanitatis liberos: omnis enim actus liber humanitatis vestiebatur omnibus conditionibus ad meritum requisitis. A primo conceptionis instanti: siquidem à primo conceptionis instanti Christus habuit omnes perfectiones naturales et supernaturales cum unione hypostaticà compossibiles; ergo à conceptione potuit mereri, ergo à conceptione meruit, alioquin quoàd actus fuisset imperfectus. Per solos actus humanitatis, non verò per actus divinitatis: meritum enim supponit indigen-

tiam et dependentiam, proindè est in Deo impossibile. Per solos actus liberos : siquidem libertas actûs est conditio essentialis meriti.

2ª p. Meritum Christi non fuit consummatum, nisi per ipsius mortem : Joan. 12, 24 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ibid. 12, 32 : *Et Ego, si exaltatus fuero* (in cruce), *omnia traham ad meipsum.* Hebr. 9, 15 : *Ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Ex quibus constat meritum Christi non fuisse consummatum, Ipso ità volente, nisi per mortem.

IV. Ratione Subjecti et Objecti.

Quær. *Pro quibus et quid meruerit?*

Resp. Christus meruit Sibi, angelis et hominibus.

I. Sibi :—Exceptis unione hypostaticâ, et donis quæ ex eâ sequuntur et quæ Christo statim à conceptione concessa fuerunt, Christus meruit dona humanitati suæ concessa; specialiter glorificationem corporis, exaltationem nominis sui, adorationem omnium populorum.

Prob. p.p. 1º Christus non meruit unionem hypostaticam : Principium meriti non cadit sub merito, alioquin causa oriretur ab effectibus. Ergo Christus non meruit unionem hypostaticam, si fuerit in Christo principium meriti; porro res ità est. Siquidem Christus ideò ab instanti conceptionis mereri potuit, quia ex hoc instanti Ipsius humanitas donata est perfectionibus naturalibus et supernaturalibus ad meritum necessariis ;

atque iis perfectionibus donata est, quia unita erat personæ Verbi, ut suprà dictum est.

2° Non meruit dona quæ ex unione hypostaticâ sequuntur et statim à conceptione Ipsi concessa fuerunt, v. g. impeccabilitatem : Res enim debita non censetur concessa per modum præmii, sed tantùm per modum debiti, si concedatur statim ac debetur ; siquidem qui eam obtinet nullo instanti potuit eam mereri. Porro dona de quibus agitur in propositione ex hypothesi erant debita, et, à primo instanti debiti, fuerunt Christo concessa.

3° Alia dona meruit : Nam perfectius est rem obtinere ex merito, quàm absque merito. Christus ergo dona de quibus agitur meruit, si ea potuerit mereri ; porro potuit. Si non potuisset, vel quia ipsi defuissent conditiones ad merendum, vel quia hæc dona ipsi jàm debita essent. Non prius : ex suprà dictis constat Christum statim à conceptione potuisse mereri. Non posterius : res enim potest acquiri simul duplici titulo, scilicet ratione debiti et ratione præmii.

4° Specialiter meruit glorificationem corporis, exaltationem nominis, adorationem nationum.—Glorificationem : Luc. 24, 26: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ità intrare in gloriam suam?* Exaltationem et adorationem : Philip. 2, 8: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris.*

II. Angelis: — Christus illis meruit; seu potiùs, Angeli per Christum obtinuerunt bona extrinseca, non verò bona intrinseca.

Prob. p. p. 1° Angeli obtinuerunt bona extrinseca: Siquidem facti sunt membra Christi. Ipsis manifestati sunt effectus mirabiles bonitatis et sapientiæ infinitæ Dei, Ephes., 3, 10: *Ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.*

2° Non verò bona intrinseca (gratiam et gloriam): Siquidem decretum de gratiâ et gloriâ angelis conferendâ, ratione præcedit decretum de redemptione hominis per incarnationem.

III. Hominibus: — Christus omnibus hominibus meruit vitam æternam et media ad eam obtinendam necessaria, scilicet gratiam habitualem et gratias actuales.

Prob. 1ª. Act. Apost. 4, 12: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Matth. 18, 11: *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.* I Tim. 4, 10: *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maximè fidelium.*

Prob. 2ª. Vera nostra propositio, si spes vitæ æternæ oriatur ex merito Christi; porro res ità est. Nam Conc. Trid. sess. 6, can. 26, hæc habet: *Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum... anathema sit.*

§ III. — De Consectariis.

Quær. *Quænam sint consectaria et effectus meritorum Christi?*

Resp. Per Christi merita homini creatur certitudo obtinendi in hâc vitâ gratias actuales; et, positis cum auxilio gratiæ conditionibus præviis, gratiam habitualem, in alterâque vitâ beatitudinem æternam.

ACTUS III.

CHRISTUS INFLUIT GRATIAM.

Influxus gratiæ potest considerari 1° in se, 2° quoàd modum.

I.

DE INFLUXU GRATIÆ IN SE CONSIDERATO.

Gratia in genere est *donum*. Cùm autem donum possit esse ordinis vel naturalis, vel supernaturalis, gratia in sensu generalissimo sumpta potest esse naturalis aut supernaturalis. Supernaturalis autem gratia est donum Dei ordinatum ad finem supernaturalem.

Dividitur 1° in gratiam *Creatoris*, quæ angelis et homini innocenti immediatè à Deo concessa fuit, et gratiam *Redemptoris* , quæ homini lapso à Deo conceditur intuitu meritorum et per influxum Christi.

2° Gratia Redemptoris est *gratìs data*, cùm ordinatur ad utilitatem supernaturalem aliorum, v. g. donum prophetiæ, donum miraculorum, etc.; *gratum faciens*, cùm ordinatur ad bonum supernaturale subjecti cui conceditur.

3° Gratia gratum faciens est actualis vel habitualis. Hâc voce *actualis* intelligitur illuminatio aut motio Dei transiens, per quam natura humana in iis quæ ad salutem pertinent illuminatur, excitatur et adjuvatur; istâ *habitualis* designatur donum Dei per modum habitûs animæ inhærens, quo homo fit justus et Dei amicus.

Sub præsenti titulo agitur præcipuè de gratiâ Redemptoris actuali et habituali.

§ I.—De Existentiâ gratiæ.

Prænot. Gratiæ existentiam, ac proindè ejus influxum per Christum negàrunt 1° Pelagiani, juxta quos liberum hominis arbitrium ità integrum et sanum est, ut gratiâ interiori medicinali et adjuvante non egeat; 2° Sociniani et Rationalistæ errorem Pelagianorum renovantes.

QUÆR. *Utrùm Christus hominibus influat gratiam?*

Resp. Christus influit gratiam, tùm actualem, tùm habitualem.

Prob. Res ità est, si 1° Deus conferat homini gratiam actualem, si 2° infundat justis gratiam habitualem, si 3° prædictas gratias per Christum influat. Porro,

1ª *p.* Deus confert hominibus gratiam actualem:

Pr. 1ª. I Cor. 10, 13: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Phil. 2, 13: *Deus est enim qui operatur in vobis velle et perficere pro bonâ voluntate.* Undè sic: Deus pro bonâ voluntate auxilium præbet ut possimus sustinere

tentationem, operatur in nobis velle et perficere; ergo Deus confert homini gratiam actualem.

Pr. 2ª. Conc. Trid. sess. 6, can. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

2ª *p*. Deus infundit justis gratiam habitualem:

Pr. 1ª. I Joan. 3, 9: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet.* II Petr. 1, 4: *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Rom. 5, 9: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ità et per unius obeditionem justi constituentur multi.* II Cor. 1, 22: *Signavit nos Deus et dedit pignus spiritûs in cordibus nostris.* Undè sic: anima justi possidet permanenter semen Dei; fit divinæ consors naturæ per donum Dei; per obedientiam justi constituitur justa; accepit spiritum per modum pignoris, proindè permanenter. Porro donum Dei, quo anima fit permanenter justa, consors divinitatis, ac proindè grata, est gratia habitualis.

Pr. 2ª. Conc. Trid. sess. 6, cap. 16: *Justitia nostra dicitur* (gratia sanctificans) *quia per eam nobis inhærentem justificamur.* Ibid. can. 11: *Si quis dixerit homines justificari, vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhæreat; aut etiam gratiam quâ justificamur esse tantùm favorem Dei, anathema sit.*

3ª *p*. Prædictas gratias influit per Christum, — in duplici sensu.

1° Eas influit per Christum, causam *meritoriam ;* ut suprà probatum est.

2° Eas influit per Christum, causam *instrumentalem.* Nam 1. in ordine naturali Deus influit membris principium vitæ per caput; à pari in ordine supernaturali, per Christum, Ecclesiæ caput, influit hominibus gratiam, principium vitæ supernaturalis. 2. Per Christum influitur gratia actualis : Conc. Trid. sess. 6, cap. 16 : *Christus tanquàm caput in membra, et tanquàm vitis, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine quâ nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt.* Per Christum influitur gratia habitualis: sess. 6, cap. 7: *In ipsâ justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.*

§ II. — De Naturâ et Proprietatibus gratiæ.

I. QUÆR. *Quænam sit* NATURA *gratiæ ?*

Cùm duplex sit gratia, actualis scilicet et habitualis, duplex est quæstio. Undè,

Quæst. 1ª. *Quænam sit natura gratiæ actualis ?*

Resp. Certum est gratias actuales ad duplicem naturam et speciem pertinere; aliæ sunt *lumen* supernaturale, aliæ *vis* supernaturalis. (Lumen supernaturale : seu per se capax intellectum supernaturaliter illuminandi ; vis supernaturalis : seu per se capax voluntatem supernaturaliter à malo avertendi, ad bonum impellendi, in eoque exsequendo adjuvandi.)

Prob. 1ª. Natura gratiæ actualis, quæ est auxilium supernaturale homini concessum, accommodari debet facultatibus adjuvandis. Porro ex unâ parte, duplex est facultas adjuvanda, intellectus scilicet, ut possit supernaturalia cognoscere et credere; voluntas, ut possit à malo declinare, et bonum supernaturale velle et operari. Ex alterâ parte, intellectus adjuvari potest in actibus ordinis supernaturalis solummodò per lumen supernaturale, voluntas solummodò per vim supernaturalem. Ergo gratia actualis, seu auxilium supernaturale homini concessum, est lumen supernaturale et vis supernaturalis.

Prob. 2ª *p.p.* 1° Existit lumen supernaturale intellectum illuminans: Nam 1. Matth. 16, 17: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est.* II Cor. 3, 5: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ergo S. Petrus divinitatem Christi per Patrem solum cognovit; ergo sufficientia nostra ad cognoscendum (in ordine supernaturali) ex Deo est. Ergo Deus homini concedit lumen supernaturale. 2. Concilium Arausicanum, quod, quamvis fuerit particulare tantùm, universalis tamen synodi auctoritatem habet, quia universalis Ecclesia decretis ejus subscripsit, hæc declarat in can. 7: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritùs Sancti; hæretico fallitur spiritu.*

2° Existit vis supernaturalis voluntatem impellens:

Nam 1. Ps. 118, 36: *Inclina cor meum in testimonia tua.* Philip. 2, 13: *Deus est enim qui operatur in vobis velle et perficere, pro bonâ voluntate.* 2. Conc. Trid. sess. 6, can. 4: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti... anathema sit.*

De naturâ autem hujus vis supernaturalis, *seu* gratiæ voluntatis, diversæ sententiæ fuerunt emissæ.

1° Jansenistæ affirmant omnem gratiam voluntatis *essentialiter* esse motum charitatis perfectæ. Nam, inquiunt, omnis motus voluntatis est amor, et aliundè omnis amor est charitas perfecta, vel cupiditas vitiosa. Porro gratia non potest movere ad cupiditatem vitiosam; ergo essentialiter movet ad charitatem perfectam.

2° Quidam catholici, inter quos theologi Lovanienses, admittunt equidem medium inter charitatem perfectam et cupiditatem vitiosam, ità ut motus à charitate distinctus possit esse bonus in se. Affirmant verò omnem motum gratiæ esse motum charitatis perfectæ. Undè actus elicitus ex motivo distincto à charitate, licèt bonus in se, non potest esse supernaturalis, quia non fit ex motu gratiæ.

3° Juxta alios, existunt motus gratiæ à motu charitatis perfectæ distincti.

Quo posito, sequentia de controversiâ actuali affirmamus: 1. hæretica est Jansenistarum opinio, 2. repellenda videtur Lovaniensium, 3. admittenda proindè ultima solutio.

1° Hæretica est Jansenistarum opinio.

Pr. 1a. Opinio Jansenistarum nititur hâc proposi-

tione: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur... aut laudabilis illa charitas quâ Deus amatur*. Porro hæc 38 propositio Baii damnata fuit à S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII.

Pr. 2ª. Si omnes motus voluntatis à charitate distincti oriantur à cupiditate vitiosâ. Ergo 1. omnes habitus, præter habitum charitatis, sunt mali; proindè unica est virtus, scilicet charitas. Porro hæc propositio contradicit Scripturæ, I Cor. 13, 13: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas*. Ergo 2. omnes actus distincti ab actibus charitatis sunt mali, ergo à Deo commendari non possunt. Porro hoc Scripturæ opponitur, Coloss. 3, 12: *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis... super omnia autem hæc, charitatem habete*. Ergo 3. *non vera est legis obedientia, quæ fit sine charitate*. Porro hæc 16 propositio Baii damnata est à S. Pio V, Gregorio XIII, Urbano VIII. Ergo 4. Gehennæ metus, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, et à peccato abstinemus, est peccatum, et peccatores pejores facit. Porro hæc propositio ut hæretica damnata fuit à Conc. Trid. sess. 6, can. 8.

2º Repellenda videtur Lovaniensium opinio:

Pr. 1ª. Juxta Lovanienses, actus charitatis soli fierent ex motu gratiæ, seu inspirante Spiritu Sancto. Porro hæc propositio damnata est à Conc. Trid. sess. 6, can. 3: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Pr. 2ª. Conc. Trid. sess. 6, cap. 6, exponens dispositiones ad justificationem, hæc habet: *disponuntur autem ad ipsam justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ et adjuti;* posteà inter dispositiones enumerat fidem, spem, timorem. Ergo motus fidei, spei et timoris in animâ producuntur excitante et adjuvante gratiâ; ergo omnis gratia non est motus charitatis.

3º Ergo admittenda est gratia distincta à charitate:

Pr. Ex dictis rejicienda est opinio affirmans omnem gratiam esse motum charitatis; ergo existunt gratiæ à motu charitatis distinctæ.

Quæst. 2ª. *Quænam sit natura gratiæ sanctificantis?*

Resp. Ex probatione existentiæ gratiæ sanctificantis, constat gratiam sanctificantem esse donum Dei per modum habitûs animæ inhærens, quo homo fit justus et Dei amicus.

Undè apparet falsitas opinionis Lutheranorum et Calvinistarum affirmantium gratiam habitualem non esse animæ inhærentem intrinsecè, sed imputationem merè extrinsecam justitiæ Christi.

De naturâ autem intimâ hujus habitûs triplex est inter catholicos opinio.

Juxta *Primam*, gratia sanctificans est ipsa charitas (1).

Sequentibus rationibus nititur hæc opinio: Eadem est natura gratiæ sanctificantis et charitatis, si utriusque iidem sint effectus; porro res ità est. 1º Gratia nos conjungit Deo. Item charitas, I Joan. 4, 16: *Qui manet*

(1) Andr. Vega, in Trid. l. VII, c. 23; Bellarmin. *de Grat. et lib. Arbitr.* l. I, c. 7; Estius, in 2, dist. 26, part. 4; Tournely, *de Grat.* q. 5, art. 3; etc.

in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. 2° Gratia vitam spiritualem animæ infundit. Item charitas, I Joan. 3, 14: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; qui non diligit, manet in morte.* 3° Gratia nos Dei filios efficit. Item charitas, I Joan. 4, 7: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 4° Gratia hominem reddit gratum et acceptum Deo. Item charitas, Joan. 14, 21: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* 5° Gratia est semen vitæ æternæ. Item charitas, Jacob. 1, 12: *Coronam vitæ repromisit Deus diligentibus se.* 6° Per gratiam homo justificatur. Item asserit Conc. Trid. de charitate, sess. 6, cap. 7: (Justificatio fit) *dùm per Spiritum Sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret.*

Hæc opinio impugnatur 1° rationibus aliarum opinionum quæ præsentem excludunt, 2° rationibus sequentibus.

Malè probatur. Identitas gratiæ et charitatis concluditur ex eo quòd effectus gratiæ sanctificantis attribuantur charitati; porro hæc ratio nihil probat. Cùm enim gratia et charitas sint inter se connexæ, et ex naturâ suâ inseparabiles; quæ conveniunt gratiæ tribuuntur charitati, tanquàm ejus præcipuæ proprietati, et vicissìm ea quæ sunt charitati propria, tribuuntur gratiæ tanquàm radici.

Falsa est. Nam 1. charitas est virtus, seu habitus supernaturalis, porro habitus supernaturalis supponit naturam sibi proportionatam cui inhæreat; ergo charitas supponit naturam elevatam ad esse supernaturale, seu gratiam habitualem. Atqui, si charitas supponat gratiam habitualem, non est quid unum et idem cum

eâ. 2. Scriptura distinguit gratiam et charitatem, II Cor. 13, 17: *Gratia Domini nostri J. C. et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritûs, sit cum omnibus vobis.* 3. Catechismus Concilii Tridentini hæc ait de gratiâ sanctificante: *Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ cum gratiâ in animam infunduntur.* Undè virtutes, ac proindè charitas, sunt *comitatus* gratiæ. Ergo charitas à gratiâ distinguitur.

Juxta *Secundam*, gratia sanctificans est participatio creata naturæ divinæ, animæ inhærens per modum habitûs (1).

Gratia est *participatio creata naturæ divinæ:* Non est participatio ipsius essentiæ divinæ, hoc enim modo essentia divina solis personis divinis communicatur. Est ergo participatio creata, seu donum à naturâ quidem divinâ distinctum, sed eam analogicè et imperfectè imitans. Quod sic explicari potest: sicut natura divina concipitur in Deo tanquàm radix divinarum perfectionum, et principium radicale divinarum operationum, scilicet actuum quibus se intuitivè videt, amore beatifico diligit, omnia extra se facit; ità gratia sanctificans est in hâc vitâ radix, animæ inhærens per modum habitûs, capacitatis virtutum infusarum et specialiter theologicarum, quibus anima potest Deum supernaturaliter cognoscere, diligere et ad eum tendere, in alterâ vitâ, radix habilitatis ad vitam intuitivam.

Hæc opinio nititur præcipuè sequentibus textibus: II Pet. 1, 4: *Per ipsum* (Christum) *maxima et pretiosa*

(1) Hanc sententiam tenent multi, post D. Thomam, 1-2, q. 110, art. 3. Sic plerique Thomistæ; Suarez, *de Gratiâ*, part. 3, lib. VI, c. 12; Wirceburgenses, etc.

nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. I Joan. 3, 9: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Impugnatur rationibus tertiæ opinionis infrà exponendæ.

Juxta *Tertiam*, gratia sanctificans est persona Spiritûs Sancti, quatenùs inest animæ, in eâque producit charitatem (1).

Sequentibus textibus nititur hæc opinio : Rom. 8, 14: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* I Cor. 6, 19 : *Membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti.* I Joan. 4, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* Joan. 14, 16 : *Et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum... Apud vos manebit, et in vobis erit.* Rom. 5, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Rom. 8, 15 : *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba (Pater).* Undè sic : 1° Spiritus Sanctus habitat personaliter in animâ justi et in eâ agit. 2° Per habitationem et actionem Spiritûs Sancti explicantur perfectè omnes effectus gratiæ sanctificantis. Ideò enim homo elevatur ad statum supernaturalem, fit particeps naturæ divinæ, habet virtutes infusas, specialiter charitatem, est justus, gratus Deo, etc., quia Spiritus Sanctus in eo habitat et operatur. Ergo inutilis, ac proindè rejicienda est participatio creata naturæ divinæ, à secundâ opinione excogitata ad explicandos prædictos effectus.

(1) Ità Petavius et Thomassinus, præcipui hujus sententiæ patroni. Vid. specialiter Petav. *de Trin.*, l. VIII, c. 6 et seq.

Ergo gratia sanctificans consistit in personâ Spiritûs Sancti, proùt inest et operatur in animâ.

Oppugnatur hæc opinio rationibus sequentibus :

1° Textus allati intelligi possunt de effectibus à Spiritu Sancto productis, per quos moraliter, sed non personaliter, habitat in animâ. — *Respondent* 3æ opinionis defensores, hanc interpretationem inferre vim textibus.

2° De fide est gratiam sanctificantem augeri posse ; quod falsum esset in tertiâ opinione, siquidem Spiritus Sanctus augeri non potest. — *Resp.* 3æ opinionis defensores, gratiam sanctificantem consistere in Spiritu Sancto, quatenùs unitur animæ et in eâ operatur. Porro non repugnat, unionem Spiritûs Sancti ejusque influxum augeri.

3° Conc. Trid. sess. 6, can. 11, affirmat gratiam diffundi in animam per Spiritum Sanctum; ergo *gratia* est effectus Spiritûs Sancti, ab Eo proindè distinguitur. — *Resp.* defensores 3æ opinionis : gratia est ea qualitas, vi cujus homo fit Deo gratus : undè verba Concilii Tridentini significare possunt : anima justi habet gratiam, seu est Deo grata, propter Spiritum Sanctum habitantem in eâ.

II. QUÆR. *Quænam sint* PROPRIETATES *gratiæ ?*

Resp. Aliæ sunt *communes* gratiæ actuali et habituali, aliæ *speciales* alterutri.

I. De Proprietatibus communibus.

Communes sunt 1° gratuitas, 2° supernaturalitas, 3° necessitas.

I. De Gratuitate.

Quær. *Utrùm et quonam sensu gratia sit gratuita?*

Resp. Gratia est gratuita in triplici sensu:

1° Gratuita est in eo sensu, quòd sit medium ad visionem intuitivam ordinatum. Finis enim, seu destinatio ad visionem intuitivam, est homini indebitus; ergo indebitum ac proindè gratuitum est medium ad hunc finem ordinatum.

2° Gratuita est in eo sensu quòd homo non possit mereri *de condigno* gratiam primam, nec actualem, nec habitualem. Nam, ex dicendis infrà sub titulo *de Merito*, meritum *de condigno* supponit gratiam tùm actualem, tùm habitualem. Ergo neutra cadit sub merito, proindè est gratuitò concessa.

3° Gratuita est in eo sensu quòd homo non possit mereri etiam *de congruo* gratiam primam actualem, ut infrà videbimus.

De gratuitate aut non gratuitate aliarum gratiarum, infrà dicemus ubi *de Merito*.

II. De Supernaturalitate.

Quær. *Utrùm, et quonam sensu gratia sit supernaturalis?*

Resp. Gratia tùm actualis, tùm habitualis est supernaturalis:

1° Quoàd *finem*. Siquidem ad finem supernaturalem ordinatur immediatè gratia habitualis: cùm sit conditio absolutè necessaria visionis intuitivæ, undè Conc. Trid. ait: *Causa finalis justificationis est gloria Dei et Christi, ac vita æterna;* — mediatè gratia actualis: cùm ordinetur ad gratiam habitualem; nam, sine gra-

tiâ actuali, adultus non potest debitè seipsum disponere ad justificationem, proindè gratiam habitualem obtinere, actus supernaturales operari, ac proindè gratiam habitualem augere, ut infrà probabitur.

2° Quoàd *essentiam*. Gratia enim, quoàd essentiam naturalis, non esset proportionata fini supernaturali.

3° Quoàd *causam*. Etenim causa gratiæ, tùm actualis, tùm habitualis, est Deus, quatenùs est auctor ordinis supernaturalis. Undè Conc. Trid. sess. 6, can. 3, gratiæ actualis productionem attribuit Spiritui Sancto: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritùs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio...;* attribuitque Deo justificationem, ac proindè gratiam habitualem per quam homo justificatur, sess. 6, cap. 7: *Efficiens verò* (causa justificationis) *misericors Deus, qui gratuitò abluit et sanctificat.*

III. De Necessitate.

Necessaria est gratia actualis; item gratia habitualis, in diverso sensu tamen. Undè,

1° De necessitate *gratiæ actualis.*

Duo quærenda sunt: 1° utrùm gratia actualis sit necessaria, 2° qualis gratia sit necessaria?

Quæstio Ia. *Utrùm gratia actualis sit necessaria?*

Hæc quæstio ad hæc verba reduci potest: Utrùm absque gratiâ actuali homo possit 1. operari bonum in ordine supernaturali, 2. illud operari in ordine naturali, 3. superare tentationes, 4. peccata vitare. Undè,

1a Subquæst. *Utrùm absque gratiâ actuali homo possit operari bonum in ordine supernaturali?*

Resp. Absque gratiâ actuali internâ homo non potest operari bonum in ordine supernaturali.

Quæ propositio probanda et explicanda.

Probatio. — Cùm omnis gratia sit actualis aut habitualis, propositio manebit probata, si 1° aliqua gratia requiratur ad opus supernaturale, si 2° non sufficiat gratia habitualis. Atqui,

1° Aliqua gratia requiritur ad opus supernaturale: Nam 1. opus supernaturale excedit vires hominis naturales; ergo ad illud operandum requiritur auxilium supernaturale, seu gratia. 2. Joan. 6, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ibid. 15, 5: *Sine me nihil potestis facere* (dubio procul, in ordine ad vitam æternam). I Cor. 12, 3: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Quæ omnia clarè indicant necessitatem gratiæ ad opus supernaturale. 3. Concil. Arausicanum II, can. 7: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritûs Sancti... hæretico fallitur spiritu.* Concil. Trid. sess. 6, can. 3: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur, anath. sit.* Porro idem de aliis actibus supernaturalibus dicendum propter paritatem rationis.

2° Non sufficit gratia habitualis ad opera supernaturalia: Nam 1. Adam in statu innocentiæ indigebat gratiâ actuali ad bonum operandum; ergo à fortiori homo lapsus, quamvis justificatus. 2. S. Augustinus, lib. de nat. et grat. cap. 6: *Sicut* (inquit) *oculus corporis etiam*

**

plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere. S. Thomas, 1-2, quæst. 109, art. 9, sic habet : *Non potest homo, licèt jam gratiam consecutus, per seipsum operari bonum et vitare peccatum, absque novo auxilio Dei ipsum moventis.* 3. Concil. Arausicanum suprà citatum absque ullâ distinctione affirmat *neminem, aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ posse cogitare... aut eligere... absque inspiratione et illuminatione Spiritûs Sancti;* seu, quod idem est, absque gratiâ actuali.

Explicatio. — Ex propositione præcedenti per modum explicationis sequentia deduci possunt corollaria.

Corol. I. Vera est propositio, sive intelligatur de actibus ex naturâ suâ supernaturalibus, v. g. *actibus* fidei, spei, charitatis, receptione sacramentorum; sive de actibus naturalibus quoàd substantiam, et supernaturalibus quoàd modum, seu elevatis ad ordinem supernaturalem per finem supernaturalem : sic v. g. edere, bibere, et alia ejusmodi quæ, naturalia in se, possunt elevari ad finem supernaturalem et fieri meritoria vitæ æternæ. Nam rationes propositionem probantes, cùm sint generales, cuilibet actui supernaturali applicandæ sunt.

Corol. II. Homo non potest sine gratiæ interioris auxilio ne fidei quidem initium habere. Nam 1° fides, etiamque fidei initium, est actus supernaturalis, seu ordinatus ad vitam æternam. 2° II Cor. 3, 5 : *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* In ordine

supernaturali nihil possumus cogitare à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; ergo gratia actualis requiritur etiam ad initium fidei. 3° Concil. Arausicanum II, can. 5, sic definit: *Si quis, sicut augmentum, ità initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs Sancti..., sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur.* Et Concil. Trid. vibrat anathema contra eos qui dicunt hominem posse sine inspiratione Spiritûs Sancti *credere*, etc.

Corol. III. Homo sine gratiâ actuali non potest velle et operari bonum supernaturale. — Hùc præcipuè tendunt probationes in propositione generali allatæ.

Corol. IV. Gratia, et quidem specialis, requiritur ad perseverantiam finalem. — Requiritur gratia: nam perseverantia ad obtinendum finem supernaturalem est necessaria. — Requiritur gratia specialis: siquidem 1° perseverantia finalis non conceditur omnibus justis, sed solis prædestinatis; ergo speciale est donum. 2° Concil. Trid. sess. 6, can. 22: *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in acceptâ justitiâ perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

2ª Subquæst. *Utrùm absque gratiâ actuali homo etiam lapsus possit operari bonum in ordine naturali?*

In materiâ præsenti, duplex à theologis distinguitur potentia: *physica*, vi cujus homo potest absolutè, quamvis difficillimè; *moralis*, vi cujus homo potest absque magnâ difficultate bonum operari. Quo posito,

Resp. Certum est 1° hominem lapsum posse moraliter proindè physicè, absque gratiâ actuali, aliquod

operari bonum in ordine naturali, speciatìm actus faciliores adimplere.

Pr. Si homo lapsus nullum bonum naturalis ordinis operari posset ; — Ergo 1° liberum ejus arbitrium, seu facultas boni naturalis, fuisset per peccatum non solùm attenuatum, sed amissum et extinctum ; porro hæc propositio damnata est à Concil. Trid. sess. 6, can. 5. Ergo 2° liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valeret ; quæ propositio 27 Baii damnata fuit à S. Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII. Ergo 3° irreprehensibiles essent quoàd doctrinam propositiones sequentes Baii, 37ª: *Cum Pelagio sentit, qui bonum aliquod naturale, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit*. 65ª: *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus ; et gratiæ Christi injuriam facit, qui ità sentit et docet*. Porro propositiones illæ ab iisdem Pontificibus damnatæ sunt.

Certum est 2° hominem lapsum non posse moraliter absque gratià actuali omnia mandata legis naturalis adimplere, seu omnes actus bonos ipsi præceptos operari, speciatìm difficiliores.

Pr. 1ª. Ad observandam totam legem naturalem, homo deberet vincere omnes tentationes; porro hoc est absque gratià actuali impossibile, ut infrà probabitur.

Pr. 2ª. Homo non potest cuncta legis naturalis præcepta sine gratià observare, si absque gratià non possit vincere concupiscentiam, servare castitatem, domare linguam. Atqui 1. non potest vincere concupiscentiam ; hæc enim ait Apostolus, Rom. 7, 23: *Video aliam legem*

in membris meis repugnantem legi mentis meæ (seu naturali) *et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* 2. Non potest servare castitatem; Sap. 8, 21: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* 3. Non potest domare linguam; Jacob. 3, 7: *Omnis natura bestiarum et volucrum, et serpentum, et cæterorum domantur et domita sunt à naturâ humanâ; linguam autem nullus hominum domare potest.*

Ex duabus propositionibus præcedentibus per modum explicationis sequentia deducuntur corollaria de potentiâ morali hominis.

Corol. I. Homo potest absque gratiâ actuali quasdam veritates speculativas aut practicas ad officia hominis spectantes cognoscere. Nam 1° facultates intellectuales non magis fuerunt in ipso extinctæ, quàm liberum arbitrium. 2° Juxta Apostolum, philosophi gentiles fuerunt inexcusabiles quia, cùm cognoverunt Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Dicimus *quasdam*, scilicet, clariores, v. g. existentiam Dei, prima principia legis naturalis, conclusiones proximas; non verò omnes conclusiones remotas quæ ex principiis difficillimè deduci possunt.

Corol. II. Homo lapsus potest propriis viribus Deum, ut auctorem naturæ, diligere affectivè et effectivè in quodam gradu, non tamen super omnia.

Dilectio Dei, tanquàm auctoris naturæ, est amor Dei quatenùs manifestantis perfectiones suas in ordine naturali. Pro objecto habet, vel Deum, in quantùm est in

se bonus, seu infinitè perfectus, et dicitur *amor benevolentiæ;* vel Deum, in quantùm bonus est diligentibus se, et dicitur *amor concupiscentiæ.* — Dicitur *affectivus*, amor cordis, abstractâ ejus manifestatione per opera; *effectivus*, amor per opera manifestatus. Est *super omnia*, si talis sit ut Deus cuilibet rei anteponatur; secùs, non est super omnia. Quo posito,

Pr. p. p. 1ª. Homo lapsus potest... 1° Res ità est, si homo possit per facultates intellectuales cognoscere Deum tanquàm Ens perfectissimum et benefactorem, per facultatem affectivam adhærere Deo perfecto et benefactori, per facultates operativas amorem suum manifestare: atqui hæc tria evidenter constant. 2° Inter propositiones Baii ab Ecclesiâ damnatas, sic se habet 34ª: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et pluribus veterum testimoniis excogitata.* Quæ indicant possibilitatem, saltem in se, amoris naturalis.

2ª. Non potest tamen diligere super omnia affectivè: Nam, ex dictis, homo non potest sine gratiâ observare præcepta legis naturalis difficiliora; porro præceptum amoris Dei super omnia est inter difficiliora, cùm includat voluntatem implendi omnia alia præcepta, omnes tentationes superandi.

3ª. A fortiori effectivè: Amor enim effectivus est affectivo difficilior.

Controvertitur autem utrùm homo absque gratiâ actuali possit *physicè* adimplere legis naturalis præcepta difficiliora.

De hâc quæstione duplex opinio. *Prima* negat. Equidem homo potuisset physicè adimplere omnia præcepta naturalia in statu naturæ puræ; sed per peccatum factus est debilior ad bonum naturale operandum, quàm fuisset in statu naturæ puræ. Undè post lapsum jam non potest physicè adimplere omnia, speciatìm difficiliora legis naturalis præcepta.

Secunda, probabilior, affirmat, sequenti ratione nixa. Vera propositio, si homo lapsus non factus fuerit debilior ad bonum naturale quàm fuisset in statu naturæ puræ, et si aliundè homo in hoc ultimo statu potuisset physicè omnia legis naturalis præcepta implere. Atqui 1. homo non factus fuit debilior; suprà enim probavimus, ubi *de effectibus peccati originalis*, hanc opinionem esse contradictoriâ probabiliorem. 2. In statu naturæ puræ homo potuisset physicè absque gratiâ implere omnia legis naturalis officia. Siquidem in hoc statu, vi naturæ suæ, debuisset totam legem naturalem adimplere; ergo Deus qui impossibilia non jubet, ipsi necessariò concessisset omnia media ad observandam legem naturalem. Porro, si Deus ea necessariò concessisset, hæc media dici non possunt gratiæ, etiam ordinis naturalis, cùm gratia quælibet sit essentiâ suâ donum gratuitum.

3ª Subquæst. *Utrùm absque gratiâ actuali homo possit omnes vincere tentationes?*

Resp. Homo potest absque gratiâ actuali leviores tentationes, non verò graves superare.

Prob. p. p. 1ª. Potest vincere leviores: Siquidem homo nullum potest aggredi bonum opus, etiam naturale, quin statim experiatur concupiscentiam levem

resistentem. Ergo, si homo non posset leves superare tentationes absque gratiâ, absque gratiâ nullum posset facere opus bonum naturale, quod falsum est ex suprà dictis.

2ª. Non potest vincere graves tentationes : Nam 1º Ps. 17, 30 : *In te eripiar à tentatione.* I Cor. 10, 13: *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Eph. 6, 11: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.... in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ergo per divinum auxilium homo à tentatione eripitur; ergo quædam tentationes essent supra id quod potest homo, nisi cum illis faceret Deus proventum; ergo homo non potest stare adversus insidias diaboli, nec ejus tela ignea extinguere, nisi induatur armaturâ Dei, et sumat scutum fidei. Ergo tandem homo non potest absque gratiâ graves tentationes vincere. 2º Concil. Arausicanum, can. 9 sic definit : *Divini est muneris, cùm et rectè cogitamus, et pedes nostros à falsitate et injustitiâ tenemus.*

4ª Subquæst. *Utrùm absque gratiâ actuali homo possit vitare omnia peccata?*

Resp. 1º Homo potest absque gratiâ quædam peccata vitare. Potest enim sine gratiâ quædam præcepta naturalia observare.

2º Homo non potest absque gratiâ omnia peccata vitare, etiam distributivè. Non potest enim absque gratiâ graves tentationes superare.

3º Homo potest cum gratiâ ordinariâ vitare distributivè omnia peccata formalia, tùm mortalia, tùm venia-

lia. Alioquin, cùm auxilium extraordinarium paucis concedatur, quædam peccata essent necessaria; quod falsum est.

4° Homo potest cum privilegio speciali vitare collectivè omnia peccata, tùm mortalia, tùm venialia. Negaret enim omnipotentiam Dei, qui in Deo non agnosceret facultatem concedendi homini gratiam huic effectui producendo sufficientem.

5° Homo non potest absque speciali privilegio vitare omnia peccata mortalia collectivè. Nam vitare omnia peccata mortalia nihil aliud est quàm perseverare in gratiâ usque ad mortem, quod fieri non potest absque speciali privilegio, ut suprà probavimus.

6° Homo non potest absque privilegio speciali vitare collectivè omnia peccata venialia. Nam 1° II Paralip. 6, 36: *Neque enim est homo qui non peccet.* Eccle. 7, 21: *Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum et non peccet.* Prov. 24, 16: *Septies enim cadet justus* (manens justus) *et resurget.* I Joan. 1, 8: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* 2° Conc. Trid. sess. 6, can. 23: *Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio..., anathema sit.*

Quæst. IIa. *Qualis gratia requiratur ad operandum bonum, et malum vitandum; an naturalis, an supernaturalis?*

Gratia, ut suprà diximus, est donum Dei indebitum. — Est *naturalis*, si ordinetur ad bonum naturale: *supernaturalis*, si ad bonum supernaturale et ultimò ad finem supernaturalem. Quo posito,

Certum est 1° gratiam supernaturalem requiri ad assentiendum fide divinâ et supernaturâli veritatibus revelatis, et ad observandas omnes leges ordinis supernaturalis, ad observandas leges naturales modo supernaturali et vitanda peccata his præceptis opposita. Siquidem finis supernaturalis non potest obtineri absque auxilio ejusdem ordinis.

Certum est 2° gratiam naturalem in se sufficere ad observandam legem naturalem, et vitanda peccata huic legi opposita, si homo non fuisset elevatus ad statum supernaturalem. Finis enim naturalis non exigit media supernaturalia.

Controvertitur autem utrùm gratia naturalis sufficiat ad observandam debito modo legem naturalem, positâ elevatione hominis ad statum supernaturalem.

Quidam negant. Quia, positâ elevatione ad statum supernaturalem, homo debet omnes actus suos ad hunc finem dirigere, ac proindè legem etiam naturalem ex motivo supernaturali observare, quod fieri non potest absque gratiâ supernaturali.

Alii verò communiùs et probabiliùs affirmant. Equidem, inquiunt, si finis supernaturalis esset homini necessarius, homo semper et in omnibus actibus suis ad hunc finem tendere deberet. Cùm autem finis supernaturalis sit gratuitus, Deus potest illum assignare homini, quin exigat ut homo perpetuò ad hunc finem tendat; proindè, Deo ità permittente, actus hominis possunt esse boni, quamvis fierent ex motivo bono merè naturali. Porro id permisit Deus; alioquin dicendum foret 1. actum bonum quoàd objectum et circumstantias esse malum, quia fit ex intuitu boni merè naturalis,

quod repugnat sensui hominum communi ; 2. liberum hominis arbitrium post peccatum non valere nisi ad peccandum, cùm per se absque gratiâ supernaturali non possit sibi proponere finem supernaturalem, quo fine deficiente, actus in opinione adversariorum malus evaderet ; porro hoc est falsum.

2° De necessitate *gratiæ habitualis.*

Quær. *Utrùm, et, in hypothesi affirmativâ, quonam sensu gratia habitualis sit necessaria?*

Resp. Necessaria est 1° in eo sensu quòd à Deo præcipiatur. Homo enim sine gratiâ sanctificante visionem intuitivam obtinere non potest, proindè ad finem suum debitè non ordinatur.

Necessaria est 2° in eo sensu quòd sit conditio necessaria meriti *de condigno,* ut infrà probabitur.

Necessaria est 3° in eo sensu quòd homo non possit sine eâ obtinere vitam æternam. Hoc constat ex fide et doctrinâ Ecclesiæ ; docet enim Concil. Trid. sess. 6, can. 32 : *Si quis dixerit justificatum... non verè mereri... vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem... anathema sit.*

Non est necessaria 1° ad actus bonos. Nam 1. alioquin omnes actus infidelium et eorum qui sunt in statu peccati mortalis essent totidem peccata, quæ propositio damnata est. 2. In multis Scripturæ locis Deus hortatur peccatores ad actus bonos, ad eleemosynam, ad orationem, etc., ergo gratia sanctificans non est necessaria ad actus bonos. 3. Concil. Trid. sess. 6, can. 7: *Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, vere esse peccata,*

anathema sit.—Imò fides non est necessaria ad actus bonos. Nam 1. Rom. 2, 14: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* 2. Si fides requireretur ad actus bonos, omnia infidelium opera essent peccata, et philosophorum virtutes vitia; quæ propositio 25ª Baii damnata est.

2° Non est necessaria ad actus supernaturales. Nam ex Concil. Trid. infrà citando homo cum gratiâ actuali potest sese disponere ad justificationem per fidem, spem, etc. Ergo potest absque gratiâ habituali actus supernaturales facere.

II. De Proprietatibus specialibus.

1° Gratia actualis est universalis, non verò gratia habitualis. 2° Gratia actualis est transitoria, habitualis verò gratia permanens.

I. Gratia actualis est *universalis,* non verò gratia *habitualis.*

1ª *p.* Gratia actualis est universalis:

Pr. 1ª. Deus vult salutem omnium, ergo omnibus concedit media ad salutem necessaria; porro gratia est ad salutem necessaria, ut suprà ostendimus.

Pr. 2ª. Ex fide Ecclesiæ.

Pr. 3ª. Vera propositio, si Deus concedat gratias sufficientes iis qui sunt membra Ecclesiæ, iis qui sunt extra Ecclesiam. Atqui 1° concedit gratias sufficientes iis qui sunt in Ecclesià. Concedit justis: Concil. Trid. sess. 6, can. 18: *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratià constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Ergo Deus concedit justis gratiam necessariam ad observanda Dei man-

data. Concedit peccatoribus : hæc habet Concil. Lateranense : *Si quis post susceptionem baptismi, lapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest semper reparari.* 2° Concedit gratiam iis qui sunt extra Ecclesiam : damnata est propositio sequens : *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, ideòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam et interiorem sine omni gratiâ sufficienti.* Ergo vera est contradictoria.

2a *p*. Gratia habitualis non est universalis :

Pr. Equidem omnibus offertur, ab omnibus obtineri potest cum auxilio gratiæ actualis ; sed multi eam non possident, incompatibilis est enim cum peccato mortali, quo multi sunt infecti.

II. Gratia actualis est *transitoria*, habitualis autem gratia *permanens*.

1a *p*. Gratia actualis est transitoria :

Pr. Actualis enim gratia conceditur ad illuminandum intellectum, adjuvandam voluntatem in quibusdam circumstantiis transitoriis.

2a *p*. Gratia habitualis est permanens ; ità ut tamen possit augeri per bona opera, amitti per peccatum mortale, minui extrinsecè, non verò intrinsecè per peccatum veniale.

Est permanens : Hanc propositionis partem jàm suprà probavimus ubi de existentiâ gratiæ habitualis.— Hæc autem permanentia non æquivalet immutabilitati. Siquidem

Potest augeri : Nam 1. Apoc. 22, 11 : *Et qui justus est justificetur adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc.* 2. Concil. Trid. sess. 6, can. 24 : *Si quis dixe-*

rit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera.., anath. sit.

Potest amitti : Nam 1. homo potest amittere gratiam sanctificantem per peccatum mortale, si gratia sanctificans sit cum peccato mortali incompatibilis. Porro res ità est ; cùm per peccatum mortale homo aversetur à fine, constituatur in statu deordinationis absolutæ, fiat proindè necessariò inimicus Dei, qui infinitè perfectus non potest esse amicus hominis in deordinatione absolutà constituti. 2. Concil. Trid. sess. 6, can. 23 : *Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere.., anath. sit.*

Minui potest extrinsecè per peccatum veniale : Nam peccatum veniale ponit obices gratiæ sanctificantis efficacitati, 1. minuendo benevolentiam Dei erga hominem; undè sequitur imminutio gratiæ actualis, quæ necessaria est ad excitandas et adjuvandas dispositiones ad bonum supernaturale infusas cum gratià sanctificante ; 2. inclinando cor hominis ad malum, attenuando proindè inclinationem ad bonum.

Non potest minui intrinsecè, juxta opinionem communiorem et probabiliorem. Si posset minui, vel per mortale, vel per veniale peccatum. Porro 1. non per mortale : istud enim non solùm minuit, sed destruit gratiam sanctificantem. 2. Non per veniale : nam, si minueretur per peccatum veniale, supponi posset peccata venialia ità numero augeri, ut per ea gratia sanctificans destrueretur ; porro, juxta fidem Ecclesiæ, gratia destrui non potest per venialia peccata, licèt innumera.

§ III.—De Consectariis et effectibus.

Duo quæruntur : 1° Utrùm et quænam ex gratiâ sequantur effectus et consectaria, 2° quomodò sequantur?

Quæstio I.

Utrùm et quænam ex gratiâ sequantur effectus et consectaria?

Hìc dicendum de effectibus et consectariis 1° gratiæ actualis solius, 2° gratiæ sanctificantis solius, 3° gratiæ actualis simul et sanctificantis.

I. De Effectibus gratiæ actualis solius.

Quær. *Quænam sint...?*

Resp. I. In genere gratia intellectûs illuminat intellectum.—Gratia voluntatis movet voluntatem, ut bonum velit et incipiat, et dicitur *præveniens* et *excitans*; ut bonum perficiat, et gratia appellatur *concomitans*, *cooperans* et *adjuvans*; ut in bono persistat, et gratia appellatur *subsequens*. Hæc insinuat Concil. Trid., sess. 6, cap. 16, ubi loquens de gratiâ actuali, ait : *quæ virtus bona opera... semper antecedit, et comitatur et subsequitur.*

Quælibet gratia appellatur *efficax*, si producat effectum ad quem tendit; secùs, dicitur *sufficiens*.

II. In specie, gratia actualis adjuvat hominem adultum ut possit observare totam legem naturalem, operari actus in se supernaturales, elevare actus naturales ad dignitatem supernaturalem, elicere actus qui ad justificationem conducunt, de quibus infrà.

II. De Effectibus gratiæ sanctificantis solius.

Quær. *Quænàm sint..?*

Resp. I. Per gratiam sanctificantem homo inseritur Christo, et fit corporis ejus vivum membrum.

Pr. 1ª. Juxta Scripturam, Christus est *vinea*, fideles sunt *palmites;* Christus est *caput* corporis, cujus fideles sunt membra. Ergo fideles possunt et debent Christo intimè uniri ; quod, juxta Ecclesiæ doctrinam, fit per gratiam sanctificantem.

Pr. 2ª. Conc. Trid. sess. 6, cap. 7 : *In ipsâ justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem et charitatem; nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.*

II. Per gratiam sanctificantem efficitur homo divinæ consors naturæ.

Pr. 1ª. Per gratiam sanctificantem homo inseritur Christo, fit membrum vivum Christi ; ergo participat ejus vitam et naturam.

Pr. 2ª. II Petr. 1, 14 : *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.*

III. Per gratiam sanctificantem simul infusa accipit certò fidem, spem et charitatem; probabiliùs alias virtutes supernaturales; probabiliter dona Spiritûs Sancti.

Prob. 1ª *p.* Certò fidem, spem et charitatem : Nam 1º homo per gratiam sanctificantem factus consors divinæ naturæ, ad statum supernaturalem elevatur quoàd substantiam ; proindè ad capacitatem habitualem ac-

tuum supernaturalium quoàd facultates elevari debet. Porro elevatur ad capacitatem cognitionis supernaturalis per fidem ; ad capacitatem amoris Dei, proùt est bonum hominis, per spem ; ad capacitatem amoris Dei, proùt est bonum absolutum, per charitatem. Ergo. 2° Nostram propositionem explicitè docet Conc. Trid. suprà citatum : *In ipsâ justificatione, cum remissione peccatorum...*

2ª *p*. Probabiliùs (1) virtutes supernaturales, seu habitus inclinantes ad bonum ex supernaturali motivo agendum : Nam 1° perfectio hominis, per gratiam sanctificantem ad statum supernaturalem elevati, exigit ut ad bonum supernaturale habitualiter inclinetur. 2° Catechismus Concilii Tridentini de gratiâ sanctificante hæc ait : *Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ cum gratiâ in animam infunduntur.*

3ª *p*. Probabiliter (2) dona Spiritûs Sancti : (Donum Spiritûs Sancti est qualitas supernaturalis, quâ homo benè disponitur ad extraordinariam inspirationem divinam recipiendam et exsequendam. Septem sunt dona Spiritûs Sancti. Alia pertinent ad intellectum, alia ad voluntatem. 1. Dona ad intellectum pertinentia perficiunt vel facultatem apprehendendi, vel facultatem judicandi. Facultas apprehendendi perficitur dono *intellectûs*, ut hominis intelligentia benè capiat et penetret divina. Facultas judicandi perficitur, circa res divinas speculativas, per donum *sapientiæ ;* circa

(1) Ità D. Thom. 1-2, q. 63, art. 3, et omnes Thomistæ ; A. Vega, *in Trid.* l. VII ; Suarez, *de Grat.* l. VI, c. 9, etc. contra paucos.

(2) Ità D. Thom. 1-2, q. 68 et Thomistæ, contra Scot. dist. 36, art. 3 ; Vasquez, 3 p. disp. 44, c. 2.

res humanas speculativas, per donum *scientiæ*; circa res practicas per donum *consilii*. 2. Quoàd dona ad voluntatem pertinentia, homo perficitur in iis quæ sunt ad alterum per donum *pietatis*; in iis quæ sunt ad seipsum, per donum *fortitudinis*, ut nullâ difficultate retrahatur à prosecutione boni; per donum *timoris*, ut illicitas delectationes respuat.) Quo posito, *probabile* est justum hæc dona accipere cum gratiâ sanctificante. Siquidem homo per gratiam sanctificantem vivit vitâ supernaturali; subjicitur proindè specialiter Spiritui Sancto, à quo procedit gratia actualis necessaria ut homo possit supernaturaliter operari. Decet ergo justum esse facilè mobilem à Spiritu Sancto, seu quod idem est, decet justum possidere dona Spiritûs Sancti.

IV. Per gratiam sanctificantem homo redditur filius Dei adoptivus.

Pr. 1ª. Redditur filius Dei : Per gratiam sanctificantem homo inseritur Christo, fit membrum vivum Christi, qui est Filius Dei naturalis, participat ergo filiationem divinam. Redditur filius adoptivus : Siquidem gratia habitualis, per quam justus Christo unitur, est ex parte Dei donum liberum.

Pr. 2ª. I Joan. 3, 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

V. Per gratiam sanctificantem homo intrinsecè justificatur; diverso tamen sensu, pro differentiâ gratiæ infusæ, et vario statu hominum quibus infunditur.— Undè propositio probanda et explicanda est.

Probatio. 1ª *p.* Homo justificatur : Nam 1° per gratiam sanctificantem homo fit consors naturæ divinæ, inseritur Christo, fit membrum vivum Christi; porro

hæc privilegia homini concessa conciliari non possunt cum injustitiâ hominis intrinsecâ. 2° I Cor. 6, 11 : *Et hæc fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis... in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* 3° Conc. Trid. sess. 6, cap. 7 : *Hanc dispositionem, seu præparationem, justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum.*

2ª *p*. Justificatur intrinsecè : 1° Hæc pars propositionis jam suprà probata est. 2° Justificatio appellatur à Concilio Tridentino *renovatio interioris hominis.*

Explicatio. *Quonam sensu homo per gratiam sanctificantem justificetur?*

Duplex gratia potest hominibus infundi, gratia prima et gratia secunda. Gratia *prima* est ea quæ creaturæ intellectuali nondùm justæ conceditur. Gratia *secunda* est ea quæ conceditur creaturæ intellectuali jàm justæ.—Gratia prima concessa est Adamo ante peccatum. Conceditur homini lapso peccato originali tantùm reo, relapsis post acceptam justificationem. Quo posito,

Resp. 1° Gratia prima ante peccatum Adamo infusa, illum justificavit in eo sensu quòd in ipso deposuerit habitus qui, excluso fomite, subjiciebant Deo voluntatem in ordine tùm naturali, tùm supernaturali ; voluntati, partes inferiores animæ et corpus, ut diximus sub titulo *de Statu innocentiæ*.

2° Gratia sanctificans, homini lapso per baptismum aut pœnitentiam infusa, illum justificat 1. in eo sensu quòd in ipso, remanente tamen fomite, deponat habitus qui inclinant voluntatem ad subjectionem erga Deum

in ordine tùm naturali, tùm supernaturali, partes inferiores animæ et corpus ad subjectionem erga voluntatem : hi enim habitus requiruntur ad justitiam et rectitudinem, ut vidimus ubi *de Statu innocentiæ*. 2. Illum justificat in eo sensu quòd excludat peccatum tùm originale, tùm actuale mortale. Nam justitia per *gratiam* sanctificantem infusa non potest in eodem subjecto coexistere cum injustitiâ, seu peccato originali àut mortali : undè, juxta Concil. Trid. sess. 6, cap. 7: *Per justificationem homo ex injusto fit justus*.

Ex quibus videre est justificationem infusam homini innocenti et homini lapso unam esse quoàd essentiam ; differre autem sub duplici respectu scilicet 1. quòd gratia hominis innocentis excludat, gratia verò hominis lapsi non excludat fomitem, 2. quòd gratia hominis innocentis non excludat peccatum, cùm illud in eo *non* exstiterit, gratia verò hominis lapsi excludat peccatum.

3° Gratia secunda auget justificationem infusam per gratiam primam, seu quod idem est, reddit hominem ex justo justiorem. Secùs gratia secunda nullum effectum produceret.

VI. Per gratiam sanctificantem homo fit amicus Dei. Siquidem per gratiam sanctificantem redditur consors divinæ naturæ, filius Dei adoptivus, intrinsecè justus, Dei proindè amicus.

VII. Per gratiam sanctificantem jus acquirit ad vitam æternam. Ait enim Apostolus, Rom. 8, 17: *Si filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Idem affirmat Conc. Trid. loco citato: (per gratiam sanctificantem) *fit hæres secundum spem vitæ æternæ*.

III. De Effectibus gratiæ actualis simul et sanctificantis.

Quær. *Quænam sint...?*

Resp. Per gratiam actualem simul et sanctificantem, homo fit, sub quibusdam conditionibus, capax *merendi* quædam bona supernaturalia.

Præmit. Meritum supernaturale, de quo solo hic agitur, est opus dignum mercede supernaturali.

Duplex distinguitur: 1° meritum propriè dictum, cui merces debetur ex justitiâ, et dicitur *de condigno*. Est *de condigno rigoroso*, si adsit proportio rigorosa inter actum et mercedem, secùs appellatur *de condigno* simpliciter.

2° Meritum impropriè dictum, cui merces non debetur ex justitiâ, sed ex quâdam tantùm convenientiâ; et nominatur meritum *de congruo*. Quòd si habeat promissionem adjunctam, dicitur *de congruo infallibili*. Tale est meritum contritionis perfectæ in peccatore, respectu justificationis. Quo posito,

Propositio probanda et explicanda est.

I. Probatio.

Vera propositio, si homo justus sit capax meriti supernaturalis ratione gratiæ. Atqui

1° Justus est capax meriti: Nam 1. Gen. 16, 1: *Ego protector tuus sum et merces tua, magna nimis.* Eccli. 13, 22: *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Rom. 4, 4: *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* I Cor. 3, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Ergo homo est capax meriti. 2. Conc. Trid. sess. 6, can. 32 : *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ità esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita... anathema sit.*

2° Capax meriti supernaturalis : Infrà probabitur homines posse mereri quasdam gratias, vitam æternam, quæ sunt bona supernaturalia.

3° Ratione gratiæ : Equidem, absque gratiâ, homo potest mereri in ordine naturali ; non verò in ordine supernaturali, siquidem actio merè naturalis non est proportionnata mercedi supernaturali.

II. Explicatio.

Tria quæruntur : 1° cujus meriti homo sit capax, 2° quænam sint conditiones meriti, 3° quodnam sit objectum meriti, seu, quænam bona supernaturalia homo possit mereri ?

Quæst. 1ª. *Cujus meriti homo sit capax?*

Resp. 1° Homo non est capax meriti *de condigno rigoroso*. Nulla est enim proportio rigorosa inter actus hominis et mercedem supernaturalem.

2° Homo est capax meriti *de condigno* simpliciter. Nam 1. Deus, ut infrà probabimus, quibusdam actionibus promisit mercedem supernaturalem ; porro ex promissione divinâ sequitur jus strictum ad mercedem promissam. 2. II Tim. 4, 8 : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex.* Hebr. 6, 10 : *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Ergo homo est capax mercedis quam Deus homini tenetur concedere, vi justitiæ suæ ; ergo. 3. Concil. Trid. sess. 6, can. 32 : *Si quis*

dixerit... justificatum bonis operibus... non verè mereri augmentum gratiæ...; porro meritum de condigno est solum verum et propriè dictum meritum.

3° Homo est capax meriti *de congruo*. Multa enim sunt opera, quibus Deus non promisit, quibus tamen non potest decenter denegare quamdam mercedem, ut infrà videbimus.

Quæst. 2ª. *Quænam sint conditiones meriti?*

Duplex est meritum, *de condigno, de congruo*. Undè quæstio duplex.

Ad 1am scilicet : *Quænam sint conditiones meriti de condigno?*

Resp. Ad meritum de condigno, sequentes requiruntur conditiones :

Ex parte *Dei*,— requiritur promissio mercedis. Nam 1. actiones nostras, etiam supernaturales, debemus Deo titulo justitiæ. Ergo actiones nostræ nullam per se nobis merentur mercedem ; ergo jus ad mercedem nobis præstare non possunt, nisi ratione promissionis divinæ. 2. Conc. Trid. sess. 6, cap. 16 : *Benè operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.*

Ex parte *agentis*,— requiritur 1° ut sit *viator*. Nam 1. ità volente Deo, et credente ac docente Ecclesiâ, homo post mortem est incapax meriti. 2. Eccle. 9, 5: *Nec habent* (mortui) *ultra mercedem*. Gal. 6, 10 : *Dùm tempus habemus, operemur bonum.*

Requiritur 2° ut agens sit *justus*. Nam 1. qui non

habet gratiam sanctificantem est supernaturaliter mortuus, porro repugnat à mortuo produci opera viva, seu meritoria; est in statu damnationis, porro repugnat hominem in statu damnationis mereri vitam æternam. 2. I Cor. 13, 13: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ità ut ardeam, charitatem* (ac proindè gratiam sanctificantem quæ est charitas, aut charitatem semper comitatur) *autem non habuero, nihil sum.* Joan. 15, 14: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos* (potestis ferre fructum, seu mereri), *nisi in me manseritis* (scilicet per gratiam sanctificantem).

Ex parte *actûs*, — requiritur 1° ut sit *liber*. Nam 1. alioquin non esset agenti imputabilis, nec proindè ipsi meritorius. 2. Damnata est propositio sequens: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Ergo vera contradictoria, scilicet: requiritur libertas seu exemptio necessitatis.

Requiritur 2° ut actus sit *bonus.* Secùs, nedùm mereretur, dignus esset pœnâ æternâ.

Requiritur 3° ut actus sit *supernaturalis.* Alioquin nulla esset proportio inter actum meritorium qui esset ordinis naturalis, et mercedem quæ esset ordinis supernaturalis.

In quonam autem sensu debeat esse supernaturalis?

R. Actus meritorius debet esse supernaturalis 1. *quoàd auxilium,* seu fieri debet motu gratiæ. Homo enim non potest absque gratiâ actus supernaturales elicere.

2. Probabiliùs contra quosdam theologos (1), debet esse supernaturalis *quoàd motivum*. Siquidem finis est elementum præcipuum actûs; actus proindè non potest dici verè et sensu stricto supernaturalis, nisi factus fuerit ex motivo supernaturali.

Probabiliùs tamen, necessarium non est ut actus sit supernaturalis, in eo sensu quòd elici debeat ex motivo charitatis perfectæ, ut contendunt plures theologi (2). Matth. 19, 16-17. Christus his verbis interrogatus: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (in genere). I Tim. 6, 18-19: *Divitibus hujus sæculi præcipe benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurisare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Undè vita æterna obtineri potest per actus à charitate distinctos.

Ad 2[am] scilicet: *Quænam sint conditiones meriti de congruo?*

Resp. Ad meritum *de congruo* sequentes requiruntur conditiones: 1° Homo sit *in viâ*, 2° actus sit *liber*, *bonus*, *supernaturalis* in sensu suprà exposito, et propter rationes allatas.

(1) Soto, *de Nat. et Grat.* c. 4, Cajetan., Valent. disp. 8, q. 6, Vasquez, 1a 2ae disp. 207.

(2) Ità Suarez, *de Grat.* p. 3, l. XII, c. 8, 9, 10; Sylvius, 1a 2ae, q. 114, art. 4. Alii econtrà, licèt admittant, ut actus sit meritorius præmii accidentalis, non requiri hunc actum esse elicitum ex motivo charitatis perfectæ, contendunt tamen eum non esse meritorium vitæ æternæ, seu præmii essentialis, sine influxu, saltem virtuali, charitatis. Ità D. Bonaventura, in 2, dist. 41, art. 1, q. 3; Bellarmin. l. V, c. 15; Billuart, *de Gratiâ* dissert. 8, art. 4, et plures alii qui hanc sententiam tribuunt D. Thomæ, 1-2, q. 114, art. 4.

Ut meritum sit *de congruo infallibili*, requiritur insuper promissio ex parte Dei.

Ad meritum *de congruo* non requiritur in subjecto status justitiæ.

Quæst. 3ª. *Quodnam sit objectum meriti, seu quænam bona supernaturalia homo possit mereri?*

Quæstio potest esse vel 1º de mediis, seu de gratiâ, vel 2º de fine, seu de vitâ æternâ.

I. Quoàd gratiam.

Q. 1ª. *Utrùm homo possit mereri primam gratiam?*

R. 1º Homo non potest mereri primam gratiam actualem, nec *de condigno* nec *de congruo*. Nam conditio meriti non cadit sub merito; porro gratia actualis est conditio utriusque meriti.

2º Homo non potest mereri *de condigno* primam gratiam sanctificantem. Nam 1. gratia sanctificans est conditio meriti *de condigno*. 2. Rom. 3, 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius*. 3. Conc. Trid. sess. 6, cap. 8: *Gratis autem justificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.*

3º Homo potest mereri *de congruo* etiam *infallibili* gratiam sanctificantem primam, scilicet, per actum contritionis, aut charitatis perfectæ. Siquidem, ex unâ parte homo cum auxilio gratiæ actualis potest elicere hos actus, ex alterâ parte Deus justificationem promisit his actibus, ut constabit sub titulo *de Contritione*.

Q. 2ª. *Utrùm, obtentâ primâ gratiâ, homo possit mereri gratias sequentes?*

R. Quæstio est vel de gratiâ actuali, vel de gratiâ habituali.

Si de gratiâ actuali : — 1° Homo non potest mereri *de condigno* gratias efficaces. Si posset enim per actus suos mereri gratiam efficacem, cùm perseverantia finalis nihil aliud sit quàm series harum gratiarum usque ad mortem continuata, homo posset mereri perseverantiam finalem, quod falsum est, ut infrà probabimus.

2° Homo potest mereri *de congruo* gratias efficaces. Nam potest *de congruo* mereri perseverantiam finalem, à pari gratias efficaces.

3° Probabiliùs potest mereri *de condigno* gratias actuales sufficientes. Potest enim mereri *de condigno* vitam æternam, augmentum gratiæ sanctificantis, à fortiori gratias sufficientes.

Si de gratiâ habituali : — Homo potest mereri *de condigno* gratiam secundam. Concil. Trid. sess. 6, can. 32 : *Si quis dixerit* (hominem) *justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum... non verè mereri augmentum gratiæ... anathema sit.*

Q. 3ª. *Utrùm homo possit mereri reparationem post lapsum?*

R. 1° Homo non potest prædictam gratiam mereri *de condigno*. Ezech. 18, 24: *Si averterit se justus à justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem... justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*. Porro, si post lapsum Deus non meminerit justitiarum quas justus anteà fecerat, ergo lapsus non potest reparationem mereri per easdem justitias.

2° Homo potest mereri gratiam prædictam *de congruo*. Psal. 70, 9: *Cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me*. Hæc oratio Davidis includit spem reparatio-

nis, quæ spes supponit probabilitatem obtinendi reparationem post lapsum.

Q. 4ª. *Utrùm homo possit mereri perseverantiam finalem?*

R. 1° Homo non potest mereri *de condigno* perseverantiam finalem. Nam 1. nullibi Deus in Scripturis hanc gratiam promisit. 2. Perseverantia finalis non numeratur à Concilio Tridentino inter ea quæ homo mereri potest. 3. I Cor. 10, 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Philip. 2, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Porro, si homo posset mereri *de condigno* perseverantiam finalem, amissio salutis, seu damnatio, non tanto timore metuenda esset; homo enim unico actu mereri posset perseverantiam finalem, proindè vitam æternam.

2° Homo potest mereri *de congruo* perseverantiam finalem. Congruit enim ut Deus concedat homini petenti gratiam suam et perseverantiam in gratiâ.

II. Quoàd vitam æternam.

Q. *Utrùm homo possit mereri vitam æternam?*

R. Homo potest mereri *de condigno* vitam æternam. Deus enim eam promisit. Siquidem 1. Jacob. 1, 12: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* 2. Concil. Trid. sess. 6, cap. 16: *Proponenda est vita æterna, et tanquàm gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa.*

Quæstio II.

Quomodò gratia producat suos effectus?

Hæc quæstio sequentibus æquivalet: 1° utrùm homo

necessariò an liberè subeat actionem gratiæ, 2° undè repetenda sit efficacitas aut simplex sufficientia gratiæ actualis, an ex gratià ipsâ, an ex voluntate hominis?

Ad 1am scilicet: *Utrùm homo necessariò an liberè subeat actionem gratiæ?*

Resp. Certum est 1° animam necessariò subire effectus gratiæ sanctificantis. Illi enim effectus sunt consectaria necessaria gratiæ sanctificantis.

Certum est 2° intellectum necessariò illuminari per actionem gratiæ intellectûs, adjuvari ad bonum per actionem gratiæ voluntatis.

Controvertitur autem inter Catholicos et hæreticos utrùm voluntas humana necessariò, an liberè, sequatur *in actibus suis* gratiæ inspirationem.

Catholici omnes affirmant libertatem hominis agentis sub inspiratione gratiæ etiam efficacis.

Pseudoreformati verò et Jansenistæ sententiam contradictoriam amplectuntur.—Juxta Pseudoreformatos, liberum hominis arbitrium fuit exstinctum per peccatum originale; undè bona opera ab homine lapso producta nullo modo ipsius voluntati, proindè totaliter gratiæ divinæ sunt attribuenda. — Juxta Jansenistas, voluntas humana per protoparentis peccatum prorsùs amisit activam liberi arbitrii flexibilitatem, quâ pro nutu sese ferebat ad bonum aut ad malum. Liberum arbitrium amissum suppletur per duplicem delectationem, cœlestem scilicet, seu charitatem, quæ ad bonum, et terrenam, seu concupiscentiam, quæ ad malum sollicitat. Duæ illæ delectationes ità in se invicem et in ipsam voluntatem influunt, ut voluntas necessitetur ad agendum juxta superiorem. Undè omnis gratia est necessa-

riò efficax, nulla existit gratia merè sufficiens in sensu stricto. Quo posito,

Contra Pseudoreformatos et Jansenistas cum Catholicis

Resp. Voluntas est libera in actibus sub influxu gratiæ etiam efficacis.

Prob. 1ª. Conscientia homini supernaturaliter agenti testatur se ità agere, ut posset ab actu abstinere; ergo homo liberè subit gratiæ influxum.

Prob. 2ª. Josue 24, 15: *Optio vobis datur, eligite hodiè quod placet, cui servire potissimùm debeatis.* Eccli. 31, 10: *Potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideò stabilita sunt bona illius in Domino.*

Prob. 3ª. Concil. Trid. sess. 6, can. 4: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere, anath. sit.*

Prob. 4ª. Ex consectariis sententiæ adversariorum.

1° Si vera sit Pseudoreformatorum et Jansenistarum opinio de libertate; Ergo 1. jam nullum existit bonum aut malum morale; cùm hæc duo supponant libertatem. Ergo 2. inutiles sunt leges; supponunt enim voluntatem dirigendam, proindè liberam. Ergo 3. jam nullum existit meritum et demeritum; hæc enim supponunt bonum aut malum morale. Porro hæc omnia contradicunt sensui hominum communi, fidei et doctrinæ Ecclesiæ.

2° In sententiâ adversariorum, nulla datur gratia merè sufficiens, omnis gratia est efficax, omnis gratia efficax est necessitans. Quo posito, — Ergo 1. *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia quâ possibilia sunt.* Si enim justi peccantes aliquam haberent gratiam quâ præcepta adimplere possent, vel efficacem, vel sufficientem. Porro non habent efficacem, alioquin non peccarent ; non habent sufficientem, nulla enim verè datur gratia sufficiens in opinione adversariorum. Ergo 2. veræ sunt propositiones sequentes : *Interiori gratiæ nunquàm resistitur... Semipelagiani in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare,* quia scilicet hoc asserendo Semipelagiani ultra modum augebant vires liberi arbitrii. Porro has propositiones Jansenii damnaverunt SS. Pontifices.

Ad 2am scilicet : *Undè repetenda sit efficacitas aut simplex sufficientia gratiæ; an ex ipsâ gratiâ, an ex hominis voluntate?*

Resp. Tres præcipuæ existunt inter theologos sententiæ.

Prima, Thomistarum, affirmat efficacitatem et sufficientiam gratiæ repetendam esse ex ipsâ utriusque gratiæ naturâ ; itâ ut gratia efficax non possit fieri simpliciter sufficiens, et vice versâ. In hâc opinione, gratia efficax dicitur præmotio vel prædeterminatio physica, eò quòd physicè, id est realiter et per se moveat, determinetque voluntatem ad omnem actum.

Secunda affirmat gratiæ efficacitatem aut sufficien-

tiam pendere à consensu voluntatis. Sic præsentem opinionem explicat Molina ejus inventor: Deus, vi præscientiæ suæ, videt hominem talibus gratiis consensurum, aliis non consensurum. Si concedat homini gratiam primi generis, homo consentiet et gratia est efficax; si verò concedat gratiam secundi generis, homo dissentiet, et gratia est simpliciter sufficiens.

Tertia inter præcedentes quasi intermedia, à Congruistis inventa, affirmat gratiæ efficacitatem repeti ex ipsius congruitate, sufficientiam verò ex congruitatis defectu. Congruitas autem gratiæ est ipsius attemperatio cum hominis, cui conceditur, naturâ, indole, variisque circumstantiis. Undè 1. ex unâ parte, gratiæ efficacitas aut sufficientia non est absoluta, ut volunt Thomistæ, sed relativa, seu dependens à variis hominum naturâ, indole, variisque circumstantiis; 2. ex alterâ parte efficacitas aut simplex sufficientia non *pendet* à solo consensu voluntatis, ut vult *secunda* opinio. Congruitas enim aut non congruitas, à quâ pendet efficacitas aut sufficientia, desumitur à circumstantiis, quæ sunt à voluntate independentes.

Quarta existit sententia, scilicet Augustinianorum. Augustiniani, sic appellati ex S. Augustino quem ducem sequi gloriantur, in eo cum Jansenio consentiunt, quòd omnem gratiam reponant in cœlesti delectatione superiori et victrici si habeat effectum, inferiori autem si careat effectu. In his verò à Jansenio differunt 1. quòd dicant cœlestem delectationem non esse semper charitatem; 2. quòd velint sub illâ delectatione, si sit superior, veram esse peccandi potentiam, sub eâ autem, si sit inferior, nullam esse peccandi necessitatem.

Hæc opinio à præcedentibus essentialiter non differt. Siquidem superioritas et inferioritas delectationis pendent vel ab ipsius naturâ, vel à voluntate, vel à circumstantiis. Si primum, ipsum est systema Thomistarum ; si secundum, ipsum est systema Molinistarum ; si tertium, ipsum est systema Congruistarum.

Nobis sufficiat has opiniones exposuisse, alii doctiores pronuntient.

II.

DE INFLUXU GRATIÆ QUOAD MODUM CONSIDERATO.

Quæritur *quomodò Christus influat gratiam*, id est: 1° Utrùm exigat dispositiones et conditiones prævias in subjecto ; et, in hypothesi affirmativâ, quasnam exigat ; 2° Utrùm gratias influat immediatè, an mediatè per causas secundas ; et, in posteriori hypothesi, per quas causas ?

Quæstio Iª.

Utrùm Christus exigat dispositiones et conditions prævias in subjecto et quasnam exigat ?

Resp. Vel agitur de gratiâ actuali, vel de gratiâ habituali.

I. Si de gratiâ actuali:

Aliquandò Christus nullas exigit dispositiones. Sic quidam homines, in habitu imò et in actu peccati existentes, nullâ præviâ oratione, proindè absque dispositionibus, supernaturaliter illuminantur et excitantur.

Aliquandò Christus prævias conditiones exigit, specialiter orationem. Nam 1. Jacob. 4, 2: *Non habetis propter quod non postulatis ;* ergo ad concedendam

gratiam, sæpè saltem Deus orationem exigit. 2. Concil. Trid. sess. 6, cap. 11 : *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.*

II. Si de gratiâ habituali:

Vel agitur de hominibus qui usum rationis nunquàm habuerunt, vel de aliis.

I. Si agatur de hominibus qui usum rationis nunquàm habuerunt :

Nulla requiritur dispositio, cùm isti homines sint dispositionum incapaces. Una verò requiritur conditio, scilicet receptio Baptismi, ut infrà probabitur sub titulo *de Baptismo.*

II. Si agatur de hominibus qui usum rationis habent vel habuerunt :

Requiruntur dispositiones variæ, prout gratia concedenda est prima aut secunda.

Si gratia concedenda sit gratia *prima:*

Ex omnium consensu, requiritur fides. Disputant autem inter se Pseudoreformati et Catholici 1. de naturâ, 2. de sufficientiâ fidei requisitæ.

Juxta Pseudoreformatos, 1. fides ad justificationem requisita est actus quo homo credit certò et absque ullâ hæsitatione peccata sibi per Christum esse remissa ; 2. nullæ, præter fidem sic definitam, requiruntur dispositiones et conditiones ad justificationem.

Juxta Catholicos, 1. fides ad justificationem requisita est adhæsio firma veritatibus à Deo revelatis et per Ecclesiam propositis ; 2. præter fidem aliæ requiruntur ad justificationem dispositiones et conditiones.

Ergo Catholici dogmatis expositio quatuor requirit propositiones.

1ª Ppo.—Fides ad justificationem requiritur.

Prob. 1ª. Heb. 11, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo*, proindè obtinere justificationem per quam homo fit amicus Dei; *credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Prob. 2ª. Ex Concil. Trid. sess. 6, cap. 7 : *Sine fide nulli unquàm contigit justificatio.*

2ª Ppo.—Fides ad justificationem requisita intelligi non debet in sensu Pseudoreformatorum, sed in sensu catholico.

Prob. 1ª *p.* Fides justificans intelligi non debet in sensu Pseudoreformatorum :

Nam 1º Deus non potest ad justificationem exigere conditionem impossibilem. Ergo fides ad justificationem requisita non debet intelligi in sensu Pseudoreformatorum, si hæc fides sit impossibilis. Porro rem ità esse probatur 1. Scripturà, Prov. 20, 9 : *Quis dicere potest : mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Eccle. 9, 1 : *Nescit homo utrùm amore an odio dignus sit.* 2. Concilio Trid. sess. 6, cap. 9 : *Quilibet dùm seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Undè sic : si homo certò et absque hæsitatione credere posset peccata sibi esse remissa, eo ipso posset credere cor suum esse mundum à peccato, dignum amore, se gratiam Dei accepisse. Porro hæc omnia credere non potest, cùm dubia sint ex textibus citatis.

2º Concil. Trid. sess. 6, can. 12 : *Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam divi-*

næ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, anathema sit.

2ª *p*. Fides justificans intelligi debet in sensu catholico :

Nam 1º Marc. 16, 16 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ... qui crediderit, salvus erit.* Hebr. 11, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. 11, 1 : *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ergo ad salutem requiritur ut homo credat Evangelium, veritates non apparentes, seu revelatas, specialiter Deum remuneratorem. Porro in his sita est fides catholica.

2º Juxta Concilium Tridentinum, fides sensu catholico intellecta est prima conditio ad justificationem requisita, ut constabit ex infrà dicendis.

3ª Ppo.—Sola fides, etiam in sensu catholico intellecta, non justificat ; sed aliæ requiruntur dispositiones insuper et conditiones.

Prob. 1ª. Jacob. 2, 24: *Ex operibus justificatur homo, non ex fide tantùm.* II Cor. 13, 2 : *Si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 6, cap. 8, can. 9 : *Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ità ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit.*

Dispositiones autem ad justificationem requisitæ his

verbis exponuntur à Concil. Trid. sess. 6, cap. 6 : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitùs revelata et promissa sunt; atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dùm peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet: denique dùm proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata.*

Insuper in lege novâ requiruntur conditiones sequentes : receptio realis, aut votum receptionis Baptismi vel Pœnitentiæ, ut constabit ex dicendis sub titulo *de Sacramentis.*

Si gratia concedenda sit gratia *secunda :*

Requiritur, juxta legem communem, ut subjectum recipiat cum dispositionibus debitis sacramentum vivorum, aut exerceat opus vestitum omnibus conditionibus requisitis ad meritum : ità volente Christo, qui has conditiones instituit ad communicandam gratiam, ut constat ex dictis *de Merito* et dicendis *de Sacramentis ;* et hæc sola media instituit, nullum enim aliud assignari potest.

QUÆSTIO II.

Utrùm Christus influat gratiam immediatè, an mediatè per causas secundas; et in hypothesi affirmativâ per quas causas?

RESP. 1° *Immediatè*, seu absque causâ intermediâ, Christus aliquandò influit gratiam actualem et habitualem. — Actualem: sic Christus sæpè supernaturaliter illuminat et movet hominem immediatè et absque causâ secundâ ad hunc finem institutâ. — Habitualem: sic, positis dispositionibus requisitis, votum Baptismi aut sacramenti Pœnitentiæ supplet his sacramentis. Porro, in his casibus, Deus concedit immediatè gratiam sanctificantem primam; item concedit immediatè gratiam secundam, cùm sequitur ex merito hominis.

2° Aliquandò Christus gratiam influit *mediatè*, seu per causas secundas. Res ità est, si 1. Deus instituerit Sacramenta et Sacrificium; si 2. Sacramenta et Sacrificium sint causæ gratiam conferentes. Atqui hæc duo certa sunt; quod constabit ex dicendis sub titulis sequentibus.

DE

SACRAMENTIS.

Catholici verbis sequentibus aut æquivalentibus definiunt sacramentum : ***signum gratiæ sensibile, arbitrarium, symbolicum, practicum, à Deo institutum permanenter.***

Signum gratiæ: signum autem est res quæ primò cognita ducit ad cognitionem alterius ; sic administratio sacramenti Catholicis indicat gratiam quam producit. ***Sensibile:*** quod sensibus percipi potest. ***Arbitrarium:*** id est, quod rem significat ex institutione positivâ. ***Symbolicum :*** id est, quamdam habens analogiam cum effectu supernaturali producto ; sic in Baptismate, externa ablutio quamdam gerit similitudinem cum purificatione internâ. ***Practicum:*** id est, producens gratiam quam significat. ***A Deo institutum:*** Deus enim solus potest signo sensibili immediatè aut mediatè adjungere vim producendi gratiam. ***Permanenter :*** id est, duraturum quamdiù religio cujus est pars.

Veritas definitionis catholicæ ex infrà dicendis constabit. Probabimus enim sacramenta quælibet vestiri conditionibus in definitione enuntiatis.

Cùm in sacramentis quædam sint communia, quædam verò specialia, sub hoc titulo dicendum 1. de sacramentis *in genere*, 2. de sacramentis *in specie*.

DE SACRAMENTIS
IN GENERE.

Circa quodlibet sacramentum, quædam sunt *credenda;* quædam sunt *agenda* vi legis divinæ, aut vi legis ecclesiasticæ. Undè pars triplex : *dogmatica*, *moralis*, *disciplinaris*.

Ex his partibus prima pertinet ad theologiam dogmaticam, secunda ad theologiam moralem, tertia ad jus canonicum. Ergo prima solùm sub titulo præsenti tractanda videretur. Cùm autem pars moralis sit corollarium partis dogmaticæ, et pars disciplinaris sit determinatio legislativa partis moralis, difficiliùs explicari et intelligi possent, si à se invicem separarentur ; *ideò eas* in ordine præcedenti exponemus.

I.

PARS DOGMATICA.

Hæc est summa dogmatis : Deus instituit quasdam conditiones ; quarum debità unione producitur gratia. Tria proindè sunt explicanda, 1° institutio, 2° conditiones, 3° effectus sacramentorum.

I. — DE INSTITUTIONE.

Duo quæruntur : 1° utrùm Deus instituerit ; et, in hypothesi affirmativâ, quænam sacramenta instituerit ; 2° quomodò ea instituerit ?

QUÆSTIO I.

Utrùm et quot sacramenta Deus instituerit?

Religio, quamvis substantialiter una, quatuor subiit modificationes quoàd accidentia. Undè quatuor ipsius status : 1º status *innocentiæ*, seu status religionis homini innocenti impositæ ; 2º status *legis naturæ*, seu status religionis post peccatum et ante legem mosaïcam præscriptæ (appellatur *status legis naturæ*, quia religio non excludebat quidem, sed pauca continebat præcepta positiva : undè homines regebantur præcipuè lege naturali per revelationem promulgatâ); 3º status *legis mosaïcæ*, seu status religionis per legem mosaïcam modificatæ ; 4º status *legis christianæ*, seu status religionis ad perfectionem suam terrenam per Christum adductæ. Undè quæstio proposita quatuor æquivalet.

I. Ad quæstionem de *Statu Innocentiæ* intellectam.

Resp. Nullâ probatione certâ affirmari aut negari potest institutio sacramentorum in statu innocentiæ.

Prob. 1ª *p*. Nullâ probatione certâ affirmari potest... Si probari posset institutio sacramentorum in statu innocentiæ, vel ratione, vel auctoritate. Atqui 1º non ratione : Siquidem sacramenta non sunt necessaria, cùm Deus possit per se et independenter à sacramentis gratiam hominibus communicare. Ergo eorum institutio à voluntate liberâ Dei pendet ; porro voluntas libera Dei probari non potest per rationem, sed tantùm per auctoritatem. 2º Non auctoritate : Nam de sacramentis statûs innocentiæ silent Scriptura, Traditio, Ecclesia.

2ª *p*. Nullâ probatione negari potest... 1º Non ratione : Nam institutio sacramentorum non magis repugnat in

statu innocentiæ, quàm in quolibet alio statu; cùm Deus omnipotens, gratiæ dominus, possit ad arbitrium eam communicare, vel immediatè, vel mediatè per causas secundarias. Porro, si Deus potuerit instituere sacramenta in statu innocentiæ, ratione probari non potest ea non fuisse instituta. 2° Non auctoritate: De non existentià sacramentorum in statu innocentiæ *silent* Scriptura, Traditio et Ecclesia.

II. Ad quæstionem de *Statu Naturæ* intellectam.

Resp. Nullà probatione certà affirmari aut negari potest institutio sacramentorum in statu legis naturæ. Probabiliùs est autem unum saltem sacramentum à Deo institutum fuisse ad remissionem peccati originalis in infantibus.

Prob. 1ª *p.* Nullà probatione certà affirmari aut negari potest institutio: ob rationes in propositione præcedenti expositas.

2ª *p.* Probabiliùs est autem unum saltem à Deo institutum fuisse... Vera propositio, si 1° certum sit in statu naturæ exstitisse remedium contra peccatum originale; si 2° probabile sit hoc remedium fuisse sacramentum. Atqui

1° Certum est exstitisse remedium contra peccatum originale: Nam certum est Deum, etiam posito peccato originali, velle verè et sincerè salutem hominum. Porro verè et sincerè non vellet salutem hominum, si remedium contra peccatum originale non instituisset in omnibus religionis statibus.

2° Probabile est hoc remedium fuisse sacramentum. Id affirmat S. Augustinus, lib. 5 contr. Jul. cap. 11: *Nec ideò credendum est ante circumcisionem famulos*

Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura Sacra latere voluerit (1).

Explic. *Quodnam autem fuerit istud sacramentum?*

R. Probabile est illud situm fuisse in fide exteriùs manifestatâ, quâ parentes in mediatorem venturum credebant.

Pr. Situm erat in fide, quâ parentes in mediatorem venturum credebant: Act. 4, 12: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Exteriùs manifestatâ: Alioquin hoc remedium non fuisset sacramentum.

Dicimus: probabile est *unum saltem* sacramentum institutum fuisse. Aliorum enim sacramentorum existentia ne probabiliter quidem affirmari potest ratione et auctoritate.

III. Ad quæstionem de *Statu Legis Mosaicæ* intellectam.

Resp. Deus in lege mosaïcâ instituit sacramenta, quorum numerus, aliundè ignotus, revocari potest ad quatuor classes præcipua legis novæ sacramenta adumbrantes.

Prob. 1ª p. Deus in lege mosaïcâ instituit sacramenta:

Pr. 1º. Deus in lege mosaïcâ plures instituit cære-

(1) Ità communiter theologi: D. Thom. 3 p. q. 70, art. 4 ad 2, et alibi; Scot. in 4, dist. 1, q. 6 et 7; Cano, *de Sacram. in gen.* p. 3; Suarez, *Comment. in D. Th.* q. 60, art. 3; Tournely, *de Sacram. in communi*, q. 2. art. 2; Drouin, *de Sacr. in gen.* q. 2, c. 2; etc.

monias omnibus sacramentorum conditionibus vestitas. Sic v. g. ablutiones legales erant signa sensibilia, symbolica, practica sanctitatis legalis quam producebant ex opere operato, seu vi propriâ, et sanctitatis internæ quam producebant ex opere operantis, seu vi dispositionum subjecti; à Deo instituta permanenter, seu quamdiù duratura erat lex mosaïca.

Pr. 2ª. Concil. Trid. sess. 7, can. 2: *Si quis dixerit... novæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis* non *differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ et alii ritus externi, anathema sit.* Iste canon evidenter supponit existentiam sacramentorum in veteri lege.

2ª *p*. Quorum numerus, aliundè ignotus, ad quatuor classes revocari potest:

Sub *primâ* classe comprehenditur Circumcisio, respondens Baptismo; quia 1. per circumcisionem masculi populo israëlitico aggregabantur, sicut per *Baptismum* omnes aggregantur populo christiano; 2. juxta quosdam, quia delebat peccatum originale.

Quæ analogia negatur ab aliis et probabiliùs neganda videtur. Nam 1. masculi soli circumcidebantur; Ergo, in hypothesi adversariorum, cùm Deus velit salutem omnium, aliud exstitisset medium ad delendum peccatum originale in fœminis: quæ duplicitas videtur sapientiæ Dei opposita. 2. Præcipiebatur circumcisio octavo tantùm post nativitatem die. Ergo, si circumcisio fuerit remedium peccati originalis, Deus sufficienter non providisset in veteri lege saluti omnium, cùm multi infantes moriantur ante octavum diem post nativitatem. 3. Testante Scripturâ, Judæi quamdiù morati sunt in deserto, à circumcisione abstinuerunt, Moyse sciente et

non improbante; quod admitti non potest, si circumcisio fuerit remedium peccati originalis.

Sub *secundâ* classe comprehenditur immolatio et manducatio Agni Paschalis, respondens Eucharistiæ.

Sub *tertiâ*, Expiationes, Purificationes legales, sacramentum Pœnitentiæ adumbrantes.

Sub *quartâ*, sacerdotum Consecratio, quæ sacramentum Ordinis figurabat.

IV. Ad quæst. de *Statu Legis Novæ* intellectam.

Resp. De existentiâ Sacramentorum consentiunt omnes Christiani. De eorum numero disputant Pseudoreformati cum Catholicis.

Lutherus tria admisit sacramenta, Baptismum, Pœnitentiam et Eucharistiam. Demùm, rescissâ Pœnitentiâ, duo tantùm confessus est, Baptismum et Panem.— Calvinus duo tantùm primùm admisit, Baptismum et Cœnam, quibus addidit posteà manuum Impositionem.

Juxta verò Catholicos, septem, nec plura instituta sunt sacramenta, nimirùm Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo et Matrimonium.

Quod dogma sequentibus rationibus probatur.

Prob. 1ª. Vera propositio, si 1° septem cæremoniæ superiùs indicatæ vestiantur omnibus conditionibus ad constituendum sacramentum requisitis; si 2° quælibet seorsim sumpta unicum saltem genericè constituat sacramentum; si 3° nulla cæremonia præter indicatas habeat sacramenti conditiones. Atqui,

1° Septem cæremoniæ in propositione nostrâ indicatæ vestiuntur conditionibus ad constituendum sacra-

mentum requisitis : Hoc constabit ex dicendis sub titulis *de Sacramentis in specie.*

2° Quælibet ex prædictis cæremoniis seorsim sumpta unicum saltem genericè constituit sacramentum : Si quod de præsenti propositione subesse posset dubium, maximè de Baptismo, qui triplex distinguitur, fluminis, flaminis, sanguinis ; de Eucharistià, quæ duplex sacramentum continet, unum sub specie panis, alterum sub specie vini ; de Extremâ-Unctione, quæ administratur per plures unctiones, quibus singulis adjungitur forma specialis ; de Ordine, qui plura complectitur sacramenta, v. g. Diaconatum, Presbyteratum, Episcopatum. Porro ex citatis nihil concludi potest contra propositionem nostram.

Ex Baptismo : Unum est enim sacramentum baptismi, scilicet baptismus fluminis. Siquidem baptismus flaminis seu desiderii, nihil aliud est quàm votum baptismi ; quod, ità volente Deo, potest supplere baptisma, positis ponendis, sed nullo modo est sacramentum. Idem dicendum de baptismo sanguinis. Martyri quidem remittuntur peccata, sed non indè sequitur martyrium esse sacramentum ; alioquin dicendum foret Deum martyrium instituisse, crimini atrocissimo vim contulisse producendi gratiam, quod absurdum est.

Ex Eucharistià : Siquidem rerum differentia specialis desumitur ex discrimine essentiali inter earum partes. Porro nullum est discrimen essentiale inter partes Eucharistiæ, sive sit sub specie panis, sive sub specie vini. In utroque enim casu continetur Christus totus eosdem producens effectus. Signum quidem sacramentale differt, sed accidentaliter tantùm ; cùm duo signa

etiam separata designent sufficienter alimoniam spiritualem quæ una est, nec constituitur sicut alimonia corporalis cibo et potu.

Ex Extremâ-Unctione : 1. Ex multiplici ritu adhibito in administratione extremæ-unctionis ad summum concludi posset materiam et formam totalem et completam constitui ex collectione unctionum et formularum, non verò multiplex esse sacramentum extremæ-unctionis. 2. Multiplicitas unctionum et formularum non requiritur jure divino, sed jure ecclesiastico, ut constabit ex dicendis sub titulo *de Extremâ-Unctione*. Ergo unica unctio et forma propriè constituit sacramentum, proindè unicum est sacramentum.

Ex Ordine : Cùm affirmamus ordinem unicum constituere sacramentum, id intelligimus de unitate genericâ, non verò de unitate specificâ. Porro reverà existunt plures ordines qui sunt sacramenta specie distincta, v. g. differt Diaconatus à Presbyteratu, etc. Sed hæc sacramenta specie distincta ad unum reducuntur genus per proprietatem essentialem omnibus communem conferendi potestatem et gratiam ad exercendas functiones ecclesiasticas.

3° Nulla cæremonia præter indicatas in propositione habet conditiones ad sacramentum requisitas. Si qua enim haberet, maximè lotio pedum. Id concludendum apparet ex narratione sequenti Joan. 13, 4 et seq.: *Cùm accepisset* (Jesus) *linteum præcinxit se, deindè mittit aquam in pelvim et cœpit lavare pedes discipulorum... Vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ità et vos faciatis*. Deindè alloquens Petrum ait : *Si non lavero te,*

non habebis partem mecum. Ex quo apparet lotionem pedum esse signum symbolicum, arbitrarium, practicum gratiæ, indicat enim et producit lotionem spiritualem, sine quâ homo non potest habere partem cum Jesu; esse à Christo institutum, ut constat ex textu; institutum permanenter, nullus enim assignatur institutioni terminus. Porro nihilominùs lotio pedum non habet conditiones veri sacramenti, ità testante Ecclesiâ, quæ sola potest legitimè interpretari Scripturam sacram. Rejicit enim ex numero sacramentorum lotionem pedum, sive quia lotio pedum non est productiva gratiæ per se, seu ex opere operato, sive quia illa cæremonia non fuit à Christo præcepta modo perpetuo.

Prob. 2ª. *Argum. præscriptionis.* Tempore Lutheri et Calvini, dogma catholicum de septenario sacramentorum numero admittebatur ab Ecclesiâ Occidentali et Orientali. A tempore Lutheri ad Christum istud dogma nec fuit inventum, nec adulteratum. Ergò fuit à Christo revelatum, ergo admittendum est ut veritas divina.

Pr. anteced. p. p. 1ª. Tempore Lutheri et Calvini, dogma de septenario sacramentorum numero admittebatur ab Ecclesiâ Occidentali et Orientali.— Ab Occidentali: Fatentur adversarii. — Ab Orientali : Constat 1. ex censurâ quâ Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus, approbante totâ Ecclesiâ Orientali, anno 1575, confessionem Augustanam improbavit et in quâ declaravit : *Sicut sunt septem dona Spiritûs Sancti, ità septem esse sacramenta qualia ab orthodoxis admittuntur.* 2. Ex Concilio Constantinopolitano, anno 1639, quod contra Cyrillum Lucar errores Pseudoreformatorum admittentem declarat *anathema Cyrillo nova dogmata*

fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex Apostolorum traditione praxique perpetuâ septem Ecclesiæ sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem, etc.

2ª *p.* A tempore Lutheri ad Christum illud dogma nec inventum, nec adulteratum fuit.

1° Temeraria, ac proindè rejicienda est adversariorum assertio. Temeraria est, cùm nec nomen, nec patria inventoris, nec epocha, nec modus, nec ulla circumstantia inventionis, nec ulla ejus probatio assignari possit.

2° Impossibilis est inventio aut adulteratio. Si dogma de septenario sacramentorum numero inventum aut adulteratum fuisset, vel à Christianis, vel ab Apostolis. Atqui,

Non à Christianis : Constat enim tùm fideles, tùm pastores, omnis novitatis fuisse impatientes ; Græcos à primis Ecclesiæ sæculis Latinis fuisse repugnantes ; hæreticos à temporibus apostolicis exstitisse, et fuisse Catholicis et sibi invicem infensissimos. Quo posito, 1. Vel fideles innovâssent, vel pastores. Si priùs, reclamâssent pastores ; si posteriùs, fideles. 2. Vel innovâssent Græci, vel Latini. Si priùs, reclamâssent Latini ; si posteriùs, Græci. 3. Vel innovâssent Catholici, vel hæretici. Si priùs, reclamâssent omnium sectarum hæretici ; si posteriùs, reclamâssent Catholici et omnes alii hæretici circa præsens dogma non errantes. Innovatio proindè innumeras suscitâsset reclamationes quæ erroris propagationi obstitissent. Porro tamen admittitur dogma et de his reclamationibus tacet historia ecclesiastica.

Non ab Apostolis : Nam, si de præsenti dogmate decipere potuissent Apostoli, à pari de aliis dogmatibus ; si de omnibus dogmatibus decipere potuerunt, jam corruit religio christiana per Apostolos transmissa.

Pr. conseq. Ergo 1° dogma de septenario sacramentorum numero fuit à Christo revelatum : nulla enim alia origo ipsi potest assignari, ut ex dictis probatur.

Ergo 2° admittendum est ut veritas divina : hoc evidens est.

Prob. 3ª. *Decision. Ecclesiæ.* Ex Concil. Trid. sess. 7, can. 1 : *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à J. C. D. N. instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, scilicet Baptismum, etc... aut etiam aliquod horum septem non esse verè et propriè sacramentum, anathema sit.*

QUÆSTIO II.

Quomodò Deus instituerit sacramenta; an immediatè, *seu per se, an* mediatè, *seu per alium?*

Resp. I. Si agatur de sacramentis *ante Christum*, à Deo instituta sunt immediatè. Nullibì enim legitur in Scripturà Deum sacramenta instituisse per intermedium, econtrà per se præcepit Abrahamo circumcisionem, Moysi promulgationem sacramentorum veteris legis.

II. Si agatur de sacramentis *Novæ Legis*, quæstio posita sequentibus æquivalet : 1° utrùm Trinitas per se an per alium instituerit sacramenta ; 2° utrùm Christus per se, an per Apostolos et Ecclesiam ea instituerit; 3° utrùm Christus instituerit in specie materiam et

formam sacramentorum, an eorum institutionem Apostolis aut Ecclesiæ commiserit?

Quæst. 1ª. *Utrùm Trinitas per se an per alium instituerit sacramenta?*

Resp. Trinitas sacramenta novæ legis instituit non per se, sed per Christum, in quantùm est Homo-Deus.

Prob. 1ª *p.* Instituit per Christum : Docet enim Concil. Trid. sess. 7, can. 1: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.*

2ª *p.* In quantùm est Homo-Deus : Nam institutio sacramentorum est actus mediationis, cùm gratia per quam homo reconciliatur et unitur Deo conferatur homini per sacramenta. Ergo eorum institutio attribuenda est mediatori; porro mediator Dei et hominum est Jesus Christus, quatenùs Homo-Deus.

Quæst. 2ª. *Utrùm Christus per se, an per Apostolos et Ecclesiam instituerit sacramenta?*

Resp. Ante Concilium Tridentinum quidam theologi (1) affirmârunt sacramenta Confirmationis, Extremæ-Unctionis per Apostolos aut Ecclesiam instituta fuisse, vi auctoritatis sibi à Christo concessæ. Undè, juxta hanc opinionem, instituta sunt immediatè ab Apostolis aut Ecclesià, et mediatè à Christo.

Post Concilium Tridentinum generaliter admittitur omnia sacramenta novæ legis esse immediatè à Christo instituta (2). Quod sic probatur.

(1) Ità Hugo à S. Victore, Magister sententiarum, et quidam alii.

(2) Et docet Suarez, *Comment. in D. Thom.* q. 64, art. 4, hanc propositionem esse omninò certam.

Prob. 1ª. Ex Concilio Tridentino suprà citato Christus propriè et sine addito dicitur sacramentorum institutor; ergo reipsà sacramenta immediatè instituit, si auctor sacramentorum mediatus non possit dici propriè et sine addito illorum institutor. Porro res ità est. Sic Christus non potest dici propriè et sine addito auctor legum ecclesiasticarum, quamvis Ecclesiæ concesserit auctoritatem necessariam ad eas ferendas.

Prob. 2ª. Si Apostoli quædam sacramenta instituissent, maximè, ut volunt adversarii, Confirmationem et Extremam-Unctionem. Porro falsa propositio quoàd Extremam-Unctionem, quam Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 1, affirmat à Christo institutam et à B. Jacobo promulgatam.

Propositio nostra non est tamen de fide. Siquidem Concilium Tridentinum affirmat tantùm sacramenta novæ legis à D. N. J. C. fuisse instituta, non verò immediatè.

Christus potuisset instituere omnia sacramenta immediatè, declarando v. g. suæ voluntatis esse ut existat sacramentum Baptismi, Confirmationis, etc., ut quodlibet sacramentum duabus partibus constituatur, materià scilicet et formà, quin designaverit in specie materiam et formam cujuslibet sacramenti. Undè,

Quæst. 3ª. *Utrùm Christus instituerit in specie materiam et formam sacramentorum, an earum institutionem Apostolis aut Ecclesiæ commiserit?*

Resp. Certum est Christum determinàsse in specie materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ. Verba enim quibus narratur horum sacramentorum institutio sunt clara, et explicitè designant utriusque materiam et formam.

Controvertitur autem utrùm determinaverit in specie materiam et formam aliorum sacramentorum.

Quidam negant, affirmantque Ecclesiam determinâsse materiam et formam. Sequenti ratione nituntur. In perficiendis sacramentis, Ecclesia usurpat tanquam essentialia nonnulla de quibus tacet Scriptura, quorum usus in Ecclesiis Græcâ et Latinâ varius est, imò nec constans fuit nec uniformis in ipsâ quidem Latinâ. Sic Scriptura tacet de porrectione instrumentorum in ordinatione; hæc cæremonia omittitur apud Græcos, invaluit apud Latinos à decimo et forsan à duodecimo sæculo tantùm. Quæ omnia facilè explicantur, si Christus concesserit Ecclesiæ potestatem determinandi materiam et formam sacramentorum. Non possunt autem explicari in hypothesi contrariâ. Siquidem ritus prædicti, cùm supponantur essentiales, deberent in Scripturâ contineri, utpotè à Christo instituta; iidem esse in omnibus Ecclesiæ partibus, cùm Ecclesia universa debeat possidere vera sacramenta.

Multò plures negant Ecclesiam determinâsse materiam et formam sacramentorum, affirmantque institutionem immediatam. Rationibus sequentibus nituntur. 1. Rationes superiùs allatæ nullæ sunt. Ex eo enim quòd materia et forma quorumdam sacramentorum in Scripturâ non contineantur, indè non sequitur eas non fuisse à Christo institutas, siquidem institutio Christi cognosci potest per Traditionem. Falsò supponitur materiam et formam quorumdam sacramentorum varias esse in Ecclesiis Græcâ et Latinâ. Equidem ritus accidentales differunt; non verò elementa essentialia, cùm talia habenda sint tantùm ea quæ in utrâque Ec-

clesiâ constanter usurpata sunt. 2. Si Ecclesia determinâsset materiam et formam, quæ sunt quasi elementa sacramentorum, eo ipso sacramenta immediatè instituisset; quod falsum probatur ex propositione præcedenti. 3. Qui rem instituit, rem mutare potest. Ergo, si Ecclesia materiam et formam sacramentorum instituisset, eas mutare posset. Porro hoc falsum est; *docet* enim Concil. Trid. sess. 21, cap. 2, *Ecclesiam posse quidem ritus sacramentorum mutare, sed salvâ eorum substantiâ*, quod evidenter designat materiam et formam.

II. — DE CONDITIONIBUS.

Hic solùm agitur de conditionibus *validitatis*. Infrà dicemus de conditionibus licitatis.

Tria requiruntur ad producendos effectus sacramentales: *minister* competens *elementa* sacramentalia debitè applicans *subjecto* capaci.

Dicendum ergo de conditionibus ex parte 1° ministri, 2° elementorum, 3° subjecti.

Præcipuè tractamus de conditionibus sacramentorum Novæ Legis.

§ I. — DE CONDITIONIBUS EX PARTE *MINISTRI*.

Conditiones requiruntur 1° in personâ, 2° in actione ministri.

I. De personâ ministri.

Quær. *Utrùm, et quænam conditiones requirantur in personâ ministri?*

Hæc quæstio sequentes includit, scilicet: Utrùm minister debeat 1° esse homo viator, 2° esse vestitus

charactere religioso, et, in hypothesi affirmativâ, quonam charactere, 3º habere fidem, 4º habere sanctitatem, seu gratiam sanctificantem?

Ad 1am scilicet: *Utrùm minister debeat esse homo viator?*

Resp. Minister sacramentorum ordinarius debet esse viator.

Prob. Minister debet esse viator: Facto constat; siquidem sacramenta per homines viatores, non verò per Angelos et Beatos administrantur.

Dicimus *ordinarius;* Deus enim posset extraordinariò Angelos aut Beatos deputare ad administrandum sacramentum.

Ad 2am scilicet: *Utrùm minister debeat esse vestitus charactere religioso, et, in hypothesi affirmativâ, quonam charactere?*

Resp. De necessitate characteris errârunt Lutherus et Calvinus, affirmantes nullum alium requiri characterem ad administranda sacramenta, nisi characterem baptismalem cum vocatione auctoritatis laïcæ.

Juxta verò Catholicos, character religiosus requiritur in ministro plurium sacramentorum: Concil, Trid. sess. 7, can. 10: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

De charactere ad conficienda sacramenta necessario, — *certum est* 1º in ministro Baptismi nullum requiri characterem religiosum; valet enim Baptismus etiam ab infideli collatus; 2º in ministro ordinis et ordinario Confirmationis requiri characterem episcopalem; in ministro Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis requiri cha-

racterem sacerdotalem solum ; in ministro Pœnitentiæ requiri characterem sacerdotalem cum jurisdictione ; in ministro Matrimonii requiri saltem characterem baptismalem. — *Controvertitur* autem utrùm in ministro Matrimonii requiratur character sacerdotalis. Quæ omnia tractabuntur ubi *de Sacramentis in specie*.

Ad 3um scilicet : *Utrùm minister debeat habere fidem ?*

Prænot. Necessitatem fidei in ministro ad validam sacramentorum administrationem affirmârunt III° sæculo S. Cyprianus, qui cum Africanis et quibusdam Orientalibus episcopis contendebat irritum esse baptismum ab hæreticis collatum. Eumdem errorem renovârunt Donatistæ IV° sæculo.

Contra quos cum Ecclesiâ *Resp.* Fides non requiritur in ministro ad validam sacramentorum administrationem.

Prob. 1ª. Sancto Cypriano et Africanis baptizatos ab hæreticis rebaptizantibus obstitit R. Pontifex S. Stephanus, docens : *Si quis à quâcumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur ad pœnitentiam.* Quæ regula ab Ecclesiâ Catholicâ admissa est, ac proindè vera est.

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 7, can. 4 : *Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.* Ergo non est iterandus baptismus ab hæretico collatus, eâ ratione quòd minister fuerit hæreticus. Ergo fides non requiritur ad validitatem baptismi, à pari ad validitatem aliorum sacramentorum.

Ad 4um scilicet : *Utrùm minister debeat habere gratiam sanctificantem?*

Prænot. Necessitatem sanctitatis in ministro ad validam sacramentorum administrationem affirmârunt 1° Donatistæ, IV° sæculo, negantes valere sacramentum collatum à ministro cujus nota esset improbitas; 2° Wiclefistæ et Hussitæ, XV° sæculo, negantes peccatorem etiam occultum posse validè administrare sacramentum.

Contra quos cum Ecclesiâ Catholicâ *Resp.* Sanctitas non requiritur in ministro ad validam administrationem sacramentorum.

Prob. 1ª. Non requiritur fides ; ergo nec sanctitas, quæ supponit fidem.

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 7, can. 12 : *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum; anath. sit.*

II. De actibus ministri.

Quær. *Utrùm, et quænam conditiones requirantur in actu ministri ad validam sacramentorum administrationem?*

Resp. In actu ministri duo distingui possunt, materiale scilicet et formale. *Materiale* nihil aliud est quàm positio et unio debita materiæ et formæ. De conditionibus in hâc positione et unione requisitis sub titulo sequenti dicemus. Hic ergo solùm agitur de *formali* actionis ministri, scilicet de intentione. Undè quærendum 1° utrùm requiratur, 2° qualis requiratur intentio?

Ad 1um scilicet: *Utrùm requiratur intentio?*

Resp. Ad validam sacramentorum administrationem, in ministro requiritur et sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia vera, quæcumque sit.

Prob. Requiritur intentio : Nam sacramentorum administratio est actus religiosus, proindè humanus; porro ad actum humanum requiritur 1° intentio; 2° intentio faciendi quod facit Ecclesia vera, quæcumque sit : Concil. Trid. sess. 7, can. 11 : *Si quis dixerit in ministris, dùm sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* Idem jam definierat Concil. Lugdun. IV^um in decreto ad Armenos.

Hæc intentio sufficit : Concilium enim nihil aliud exigit. Aliundè sic ab omnibus intelligitur canon citatus.

Corol. I. Ergo non sufficit intentio mimica, sed requiritur seria. (*Mimica* dicitur intentio, cùm ritus sacramentalis agitur per modum joci; *seria* verò, si seriò agatur.)

Pr. 1° In ministro requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Porro in administratione sacramentorum Ecclesia facit actum religiosum, ac proindè serium; ergo requiritur intentio seria, nec sufficit intentio mimica. 2° Minister sacramenti personam Christi gerere debet. Qui autem habet intentionem mimicam histrio habendus est; porro repugnat histrionem personam Christi gerere.

Corol. II. Ergo probabiliùs non sufficit intentio externa, etiam seria, sed requiritur interna.

Intentio est *merè externa*, si minister velit tantùm ritum sacramentalem externum, excludens aut omittens

intentionem effectum internum producendi. Est *interna*, si quodam modo velit ritum externum, quatenùs producentem effectum internum.

De necessitate intentionis internæ, aut sufficientiâ externæ, duplex opinio. — *Prima* affirmat sufficientiam intentionis externæ(1). Quia, cùm de intentione internâ ministri certò constare non possit, de validitate sacramenti semper dubitaretur, si intentio interna esset necessaria. Undè fideles de receptâ gratiâ et salute perpetuò anxiarentur; quod repugnat sapientiæ et bonitati divinæ.

Secunda, probabilior, negat (2). Nam 1° in ministro requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Porro Ecclesia in administratione sacramenti non celebrat ritum merè externum, sed ritum effectus internos producentem. 2° Ex opinione affirmante sufficientiam intentionis externæ sequeretur administrationem sacramenti non differre ab actu profano. Sic baptismus non differret ab actione quâ mater infantem lavaret, munditiæ causâ, pronuntiando hæc verba: *Ego te baptizo...* Porro hoc absurdum. 3° Damnata est ab Alexandro VIII propositio sequens: *Valet baptismus collatus à minis-*

(1) Hujus sententiæ patronus est A. Catharinus, qui eam propugnat in opusc. *de intentione ministri*, et illi accedunt Salmeron; Contenson, *de Sacram. in gen.*; Juenin, *de Sacram. diss.* 1, q. 5, c. 2, art. 3; Natal. Alexander, *de Sacr. in gen.* l. 2, art. 3; Drouin, *de Sacram. in gen.* q. 7, c. 3; etc.; et contendunt sibi favere D. Thomam, 3 p. q. 64, art. 8.

(2) Ità Bellarmin. l. 1 *de Sacram. in gen.*, c. 27; De Lugo, *de Sacram.* disp. 7, q. 3; Vasquez, disp. 138; Billuart, *de Sacram. in com.* diss. 5, art. 7, § 2; Tournely, *de Sacram. in gen.*, q. 7, art. 1; Benedictus XIV, *de Synod. diœc.* l. 7, c. 4; etc.

tro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intùs verò in corde suo resolvit : non intendo quod facit Ecclesia. 4° Si rejicienda esset opinio affirmans necessitatem intentionis internæ, maximè quia, hâc opinione positâ, de validitate sacramenti constare non posset, et ex eâ incertitudine nascerentur fidelibus anxietates. Porro hæc ratio nulla est. Equidem, *si requiritur* intentio interna, fidelis non potest habere certitudinem physicam de validitate sacramenti. Potest autem habere certitudinem moralem. Certò enim præsumitur ministrum, nisi de ejus impietate et malitiâ diabolicâ constet, habere intentionem internam administrandi sacramentum, cùm ritum sacramentalem seriò celebrat. Porro sapientia et bonitas Dei nihil ultra certitudinem moralem exigunt, cùm Scripturâ constet hominem in hâc vitâ nescire *utrùm amore an odio dignus sit.*

Quamvis dubia maneret speculativè opinio affirmans necessitatem intentionis internæ, certa est practicè ; in dubio enim circa validitatem sacramentorum pars tutior est eligenda.

Corol. III. Ergo non requiritur ut minister sacramenti intendat explicitè productionem gratiæ et characteris, administrationem sacramenti, ritum religiosum prout celebratur ab Ecclesiâ Catholicâ.

Pr. 1° Sufficit ut minister habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia vera, quæcumque sit. 2° Valet baptismus, etiam ab hæreticis, imò ab infideli collatus. Porro infidelis non sibi proponit productionem gratiæ et characteris, administrationem sacramenti, cùm illa ignoret ; nec infidelis, nec hæreticus sibi proponunt

ritum religiosum proùt ab Ecclesià Catholicà celebratur.

Dicimus *explicitè*. Nam minister, si habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia vera, eo ipso vult implicitè quod facit Ecclesia Catholica, quæ sola est vera. Vult proindè implicitè administrare sacramentum quod administratur ab Ecclesià Catholicâ; vult proindè implicitè producere gratiam et characterem per sacramentum reverà productum.

Ad 2^{am} scilicet : *Qualis intentio requiratur?*

Resp. Requiritur intentio determinata, absoluta aut æquivalens absolutæ, saltem virtualis.

Prob. 1^{a} *p.* Requiritur intentio *determinata*, id est, minister velit applicare formam tali materiæ, materiam et formam tali subjecto : Nam 1° hoc supponit forma, quæ in omnibus sacramentis est determinata ; v. g. in baptismo, *Ego te baptizo* ; in Eucharistià, *Hoc est corpus meum*... 2° Juxta Rubricas Missal. Rom.: *Si quis habeat coram se undecim hostias et intendat solùm consecrare decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio*, quæ debet esse determinata, ut constat exemplo allato.

2^{a} *p.* Requiritur intentio *absoluta*, id est posita absque conditione, aut æquivalens absolutæ : (Porro æquivalet absolutæ intentio posita sub conditione de præterito aut de præsenti aliundè verificatâ ; nam, positâ verificatione, intentio conditionalis fit absoluta. Item intentio posita sub conditione de futuro necessario ; siquidem conditio censetur necessariò verificata aut naturaliter verificanda.) Requiritur intentio prædicta. Nam intentio ministri debet coexistere administrationi sacra-

menti; porro intentio merè conditionalis non coexistit. Si enim coexisteret, vel cùm ponitur, vel cùm verificatur conditio. Atqui non coexistit cùm ponitur conditio, seu cùm administratur sacramentum; siquidem intentio conditionalis fit tantùm vera et propriè dicta intentio, cùm verificatur conditio. Non coexistit cùm verificatur conditio; eo instanti adest quidem vera intentio, sed jàm non existit administratio sacramenti priùs posita.

3ª *p*. Requiritur saltem *virtualis:* (Sub respectu præsenti triplex distinguitur intentio: *habitualis*, seu animi dispositio talis ut agens finem certè intendisset, si de eâ cogitâsset; *actualis*, seu præsens volitio finis; *virtualis*, seu intentio actualis moraliter perseverans.) Porro non sufficit habitualis; est enim mera dispositio ad intentionem, non autem intentio vera. Sufficit quidem intentio actualis, quia vera est intentio; sed non requiritur, nam intentio virtualis æstimatione communi vera reputatur. Ut autem existat intentio virtualis, requiritur ut intentio actualis præcesserit, non fuerit retractata, nec cessaverit lapsu temporis; seu, quod idem est, actio non distet longiori temporis intervallo ab intentione actuali: quod determinatur communi æstimatione.

§ II.—DE CONDITIONIBUS EX PARTE *ELEMENTORUM*.

Duo quæruntur: 1° quibusnam elementis, seu partibus intrinsecis et essentialibus, constituatur sacramentum; 2° quibus conditionibus vestiri debeant hæc elementa ad validam sacramentorum confectionem?

Ad 1um scilicet: *Quænam sint elementa sacramentorum?*

Resp. Vel agitur de sacramentis antechristianis, vel de sacramentis christianis.

I. Si de sacramentis *antechristianis :* — Probabile est ea non constituta fuisse rebus et verbis, sed tantùm rebus. Nam in Scripturâ V. T., ubi præscribuntur præcipui ritus sacramentorum, nulla fit mentio verborum. Hoc patet Gen. 17, ubi præscribitur ritus circumcisionis, Exod. 12, ubi determinatur ritus ordinationis.

II. Si de sacramentis *christianis :* — Constant *rebus* tanquàm materiâ, *verbis* tanquàm formâ.

Not. 1° Juxta philosophiam Aristotelicam, omnia entia duobus elementis essentialibus constant, materiâ scilicet et formâ. *Materia* est elementum entis primum, indeterminatum, imperfectum; *forma* est elementum entis secundarium, determinativum et perfectivum materiæ. Sic v. g. si ex ligno fiat statua humana, lignum est materia statuæ. Est enim elementum statuæ, quia statua fit ex ligno; primum, cùm forma hominis supponat lignum cui applicari debet; indeterminatum, siquidem ex ligno fieri potest quid aliud quàm statua, alia statua quàm statua hominis; imperfectum, nam imperfectius est lignum absque figurâ hominis, quàm lignum cui impressa fuerit figura hominis. Figura hominis est forma statuæ. Ex dictis enim constat figuram hominis esse elementum statuæ, cùm lignum absque figurâ hominis non esset statua hominis; secundarium, cùm imprimatur ligno præexistenti; determinativum, siquidem lignum per figuram hominis superadditam fit statua humana, et distinguitur à quolibet alio objecto; perfectivum, ideò enim statua est perfectior ligno, quia ipsi additur figura humana.

Scholastici X° sæculo, sacramentis applicârunt terminologiam Aristotelicam, in his distinguendo materiam et formam. *Materiam* appellârunt partem sacramenti quæ confusè et imperfectè significat effectum; *formam* verò partem sacramenti, quæ materiæ applicata, clarè et perfectè effectum significat.

Not. 2° In plerisque sacramentis, res et *verba sunt* intelligenda in sensu stricto; in aliis autem in sensu lato. Sic actus Pœnitentiæ, qui appellari non possunt *res* in sensu stricto, sunt materia Pœnitentiæ; in Matrimonio, consensus mutorum à quibusdam theologis appellatur *forma* sacramenti, quamvìs signo, non verò verbis propriè dictis exprimatur.

Not. 3° Materia duplex esse potest, alia *remota*, alia *proxima*. Prior est ipsa res sensibilis, quæ in sacramento adhibetur, seu circa quam actio sacramentalis exercetur. Posterior est ipsamet applicatio materiæ remotæ ad subjectum, vel actio sacramentalis subjecti. Quibus positis,

Prob. summatim. 1° Propositio nostra ab omnibus theologis, quoàd omnes suas partes, admittitur.

2° Hæc habet Concil. Florent. in decreto unionis: *Omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquàm materiâ, verbis tanquàm formâ, et personâ ministri conficientis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.*

Prob. p. p. 1ª. Sacramenta novæ legis constant rebus et verbis: Nam 1° in Scripturâ expressè exiguntur res et verba in quatuor sacramentis: in Baptismo, Matth. 28: *Baptizantes* (seu aquâ abluentes) *in nomine Pa-*

tris...; in Eucharistiâ, Matth. 26, requiruntur panis et vinum, et verba *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis*...; in Confirmatione, Act. 8, manûs impositio et oratio; in Extremâ-Unctione, Jacob. 5, unctio et oratio. Ergo saltem probabile est alia sacramenta iisdem elementis constare. 2° S. Augustinus tract. 8, in Joan.: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

2ª *p*. Res est materia, et verba sunt forma sacramentorum: Res et verba in hoc conveniunt quòd designant effectum sacramentalem. Sic in Baptismo, animæ purificatio designatur primò lotione aquæ, deindè verbis *Ego te baptizo*... Sed inter se differunt in eo quòd verba ordinentur lotioni ad determinandam et perficiendam ejus significationem. Ergo lotio in Baptismo est relativè ad verba elementum primum, indeterminatum, imperfectum; ergo est materia. Proindè verba sunt forma sacramenti. Et sic de aliis sacramentis.

Ad 2um scilicet: *Quibus conditionibus vestiri debeant elementa sacramentorum* (materia et forma), *ut valida sit sacramenti confectio?*

Resp. Requiritur 1° ut minister adhibeat materiam et formam à Christo determinatas, nec substantialiter adulteratas.

Prob. Requiritur ut adhibeat materiam et formam à Christo determinatas: istis enim elementis et non aliis Christus indidit virtutem producendi gratiam. Nec substantialiter adulteratas: alioquin elementa adhibita jàm non essent elementa à Christo instituta. Ratione contrariâ valeret sacramentum, quamvis materia aut forma accidentaliter adulterarentur.

Explic. 1° Substantialis est adulteratio materiæ, si

mutatio talis sit ut communi hominum æstimatione jàm non possit appellari nomine, quo designatur materia à Christo determinata. Secùs est accidentalis. 2° Substantialis est adulteratio formæ, si sensus formæ adhibitæ essentialiter differat à sensu formæ à Christo institutæ. Secùs est accidentalis.

Undè 1. semper accidentalis est mutatio *idiomatis*, mutatio verborum usitatorum in verba realiter synonyma.

2. Semper essentialis, matrimonio excepto, mutatio verbi in nutus, scripturam, aut alia signa.

3. Accidentalis aut essentialis pro circumstantiâ :

Mutatio per corruptionem verborum formæ. Sic valeret baptisma, si minister imperitiâ pronuntiaret *Patrias* loco *Patris*. Valeret consecratio, si sacerdos pronuntiaret *copus* pro *corpus*, *calis* pro *calix*, etc. Non valeret autem baptismus, si minister diceret *Matris* loco *Patris;* nec Eucharistia si sacerdos pronuntiaret *cor* loco *corpus*, etc., quia in posteriori casu verba substituta sensum habent diversum à verbis formæ, dùm in priori verba substituta sunt ipsa verba formæ, pronuntiatione vitiosâ adulterata.

Additio alicujus termini. Sic valeret baptismus collatus in nomine Patris *omnipotentis*, Filii *unigeniti*, et Spiritûs Sancti *Paracleti*. Non valeret autem, si minister adderet : *Et in nomine Beatæ Virginis*, intendens baptizare in nomine ejus, sicut in nomine Patris.

Substractio verbi. Sic valeret baptismus, quamvis minister non diceret *Ego;* et Eucharistia, si sacerdos omitteret *enim*. Secùs, si omitteretur in formâ baptismi aliqua persona Trinitatis, et in formâ Eucharistiæ *meum*.

Transpositio verborum formæ. Sic conficeret baptismum qui diceret : *In nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti, ego te baptizo.* Secùs, si diceret: *Patris ego te baptizo in nomine Filii et Spiritûs Sancti.*

Interruptio verborum formæ. Sic sacerdos qui, post hæc verba *hoc est*, sternutaret et statìm adderet *corpus meum*, validè consecraret. Secùs, si notabili morâ differret pronuntiationem secundæ partis formæ.

Requiritur 2° ad validitatem sacramenti ut materia et forma uniantur debitè ab eodem ministro erga idem subjectum.

Requiritur ut.... uniantur : Sacramentum enim est quid unum, exigitur proindè unio inter ejus elementa.

Uniantur *debitè*. Requiritur autem unio *physica* in Eucharistiâ, cujus forma exprimit materiam hìc et nunc demonstrabilem. —Unio *moralis* sufficit in aliis sacramentis, cùm unio moralis sit vera unio, et forma horum sacramentorum non exigat unionem physicam. Strictior tamen debet esse in Baptismo, Confirmatione, Extremâ-Unctione et Ordine quàm in Pœnitentiâ et Matrimonio. —Unio minùs stricta sufficit in Pœnitentiâ; quia hoc sacramentum administratur per modum judicii ; porro in judicio informatio causæ separari potest à sententiâ, aliquo temporis spatio. Sufficit etiam in Matrimonio: nam in opinione eorum qui affirmant materiam hujus sacramenti esse contractum, formamque benedictionem nuptialem, hæc duo quamvis aliquâ morâ separata uniuntur tamen moraliter quia contractus semel initus perseverat, proindè post aliquod tempus formæ realiter uniri potest. Idem dicendum in opinione eorum qui affirmant consensum esse simul materiam et formam ;

quia contractus est validus, quamvis inter consensum partium intersit aliqua temporis dilatio.

Uniantur ab eodem ministro erga idem subjectum: Alioquin forma sacramentorum non verificaretur. Sic minister qui diceret: *Ego te baptizo...*, dùm alter effunderet aquam, falsum proferret; siquidem non baptizaret. Item, si idem minister effunderet aquam in unum subjectum, et ad aliud subjectum dirigeret hæc verba: *Ego te baptizo..*, neutrum baptizaret.

§ III. — DE CONDITIONIBUS EX PARTE *SUBJECTI*.

Conditiones requiruntur aliæ in personâ, aliæ in actu subjecti.

I. De personâ subjecti.

Quær. *Utrùm, et quænam conditiones requirantur in personâ subjecti?*

Resp. Requisitæ conditiones sunt aliæ physicæ, aliæ morales, aliæ supernaturales.

I. Conditiones *physicæ*,

Generales: 1° Subjectum sit viator: alioquin non potest accipere gratiam, quæ viatoribus solis conceditur.

2° Sit moraliter præsens ministro: secùs forma sacramentalis, v. g. *Ego te baptizo.., Ego te absolvo..*, quæ supponit subjectum præsens ministro, non verificaretur.

Excipiuntur tamen 1. Matrimonium, quod administratur absentibus, modò consensum manifestent per procuratorem aut per litteras; 2. Eucharistia, quia, salvâ validitate sacramenti, à ministro ad subjectum

mitti potest, et in primis Ecclesiæ sæculis aliquandò mittebatur per personam intermediam.

Speciales: Requiritur ut subjectum sit in periculo mortis, si agatur de Extremâ-Unctione; masculus, si de Ordine; capax contractûs Matrimonii, si de Matrimonio.

II. Conditiones *morales:*

Requiritur ut subjectum sit aut fuerit capax actûs humani, si agatur de Pœnitentiâ, Extremâ-Unctione, Matrimonio. Hoc autem non exigitur, si quæstio sit de aliis sacramentis.

Subjectum sit aut fuerit capax actûs humani, 1° si agatur de Pœnitentiâ et Extremâ-Unctione: illa enim sacramenta instituta fuerunt ad remissionem peccatorum, proindè supponunt peccatum, porro peccatum supponit capacitatem actualem aut præteritam actûs humani; 2° si agatur de Matrimonio: siquidem hoc sacramentum supponit contractum, contractus autem capacitatem actûs humani.

Capacitas actûs humani non requiritur in Baptismo, Confirmatione et Eucharistiâ. Hæc sacramenta administrabantur infantibus in primævis Ecclesiæ sæculis. Non requiritur et in Ordine; cùm natura ordinis actum humanum non exigat in suscipiente. Ità pronuntiat Benedictus XIV in bullâ *Inter sollicitas.* Qui autem ante rationis usum fuisset ordinatus, ad cœlibatum non obligaretur, quia votum castitatis non emisisset, hoc aliundè præscribit Bened. XIV in bullâ citatâ. Vid. S. Ligorium, *de Sacram.*, n. 811.

III. Conditiones *supernaturales:*

Ad alia sacramenta validè suscipienda præexigitur

susceptio baptismi; non verò sanctitas; nec etiam fides, si excipias sacramentum Pœnitentiæ.

Præexigitur susceptio baptismi : Nam 1. sacramenta à baptismo distincta pro solà Ecclesià sunt instituta, proindè solis Ecclesiæ subjectis administrari possunt; porro per baptisma, et per solum baptisma, homines fiunt Ecclesiæ subjecti. 2. Sic definivit Eugenius *IV in decreto ad Armenos.*

Non requiritur sanctitas ; nec fides, exceptà Pœnitentià : Constat ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquàm permisit iterari baptismum et ordinationem improborum aut hæreticorum, modò ritè baptizati aut ordinati fuerint. —Fides autem requiritur in Pœnitentià, quia ad validitatem Pœnitentiæ exigitur contritio, porro contritio supponit fidem.

II. De actu subjecti.

Quæritur 1° utrùm requiratur intentio in subjecto ; 2° qualis intentio?

Ad 1um, scilicet : *Utrùm intentio requiratur in subjecto?*

Resp. Vel agitur de his qui usûs rationis sunt incapaces, vel de aliis.

1° Si agatur de iis qui usûs rationis sunt incapaces : Nulla in eis requiritur intentio ad receptionem sacramentorum quæ illis ex Ecclesiæ praxi administrari possunt; siquidem intentio ipsis impossibilis est.

Porro ex praxi Ecclesiæ talibus subjectis administrari possunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia et Ordo.

2° Si agatur de his qui sunt capaces usûs rationis : In his requiritur intentio recipiendi quod administrat

Ecclesia vera, quæcumque sit. Nam 1. receptio sacramenti est actus humanus, proindè exigit intentionem actui faciendo conformem. 2. Deus non vult hominem rationis compotem sanctificari, nisi velit. 3. De propositione nostrâ consentiunt omnes.

Nota. Qui ad Eucharistiam accederet absque intentione sacramentum recipiendi, realiter quidem communicaret corpori et sanguini Christi, non verò participaret effectus sacramenti.

Ad 2um, scilicet: *Qualis requiratur intentio in subjecto?*

Resp. Hæc intentio debet esse:

1° *Seria,* nec sufficeret intentio ludendi.

2° *Interna,* nec sufficeret intentio participandi cæremoniæ merè externæ. Non requiritur autem intentio explicita recipiendi sacramentum, effectus sacramentales, participandi cæremoniæ in Ecclesià Romanâ usitatæ. Quod patet ex dictis ubi *de Ministro sacramenti.*

3° *Actualis,* aut saltem *virtualis* in Pœnitentià, Matrimonio et Ordine.

In Pœnitentià et Matrimonio : Quia materia horum sacramentorum est actus subjecti, non sufficit proindè voluntas habitualis.

In Ordine : quia, cùm receptio ordinis graves, speciales et difficiles importet obligationes, nemo censetur velle ordinem suscipere, nisi de hujus susceptione aliquandò voluntatem explicitam habuerit. — Dicimus: *aliquandò* voluntatem explicitam habuerit. Sufficit enim voluntatem suscipiendi Ordinem aliquandò fuisse habitam nec retractatam, ut videre est apud S. Lig. *de Sacram.* n. 81; proindè erga illud sacramentum intentio

semel habita semper perseverat et virtualis censetur donec revocetur.

4° Sufficit autem in aliis intentio *habitualis* et *implicita*. Porro, ut adsit hæc intentio, sufficit, si agatur de Baptismo, voluntas peragendi omnia ad salutem necessaria; si agatur de aliis sacramentis, sufficit intentio inclusa in vitâ christianâ aut ejus proposito. Quæ omnia constant consensu communi et praxi Ecclesiæ (1).

III. — DE EFFECTIBUS.

Tria quæruntur: 1° utrùm sacramenta producant effectus; 2° in hypothesi affirmativâ, quosnam producant effectus; 3° quomodò producant effectus?

QUÆSTIO I.

Utrùm sacramenta producant effectus?

Resp. Sacramenta producunt effectus. Alioquin inutiliter à Deo instituta fuissent. Aliundè propositio nostra ab omnibus admittitur.

QUÆSTIO II.

Quosnam effectus producant sacramenta?

Resp. Quæstio potest esse de sacramentis *veteris* aut *novæ* legis.

I. Si de sacramentis *Veteris Legis*.

1° Sacramenta veteris legis producebant gratiam *legalem*, seu externam. Sic v. g. per circumcisionem homo aggregabatur populo Dei; per lustrationes à lege præscriptas Judæus purificabatur à sordibus legalibus.

2° Producebant gratiam internam; seu potiùs, occasione receptionis sacramenti, gratia interna concede-

(1) Vid. S. Lig. *de Sacram.* n. 82.

batur iis qui accedebant cum dispositionibus internis gratiæ meritoriis, ut infrà explicabitur.

II. Si de sacramentis *Novæ Legis:*

Variè sentiunt Pseudoreformati et Catholici.

Juxta Anabaptistas et Socinianos, sacramenta unum effectum producunt, scilicet manifestant professionem fidei christianæ, et distinguunt fideles ab infidelibus. Juxta Lutheranos et Calvinistas, sacramenta, præter effectum suprà assignatum, excitant in suscipientibus fidem, quâ justificantur.

Juxta verò Catholicos, omnia sacramenta producunt gratiam sanctificantem, primam aut secundam, gratiam sacramentalem, quædam insuper characterem.

Undè quærendum: 1° utrùm sacramenta producant gratiam habitualem; et, in hypothesi affirmativâ, qualem gratiam; 2° utrùm producant gratiam sacramentalem; 3° utrùm producant characterem in animâ?

Ad 1am p. 1æ q. scilicet: *Utrùm sacramenta producant gratiam sanctificantem?*

Resp. Omnia sacramenta Novæ Legis producunt gratiam sanctificantem.

Prob.* 1a. *Script. Hæc enim habet de Baptismo, Joan. 3, 5: ***Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*** Ephes. 5, 25: ***Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*** Tit. 3, 5: ***Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.*** De Confirmatione, Act. Apost. 8, 17: ***Tunc imponebant manus super eos et accipiebant Spiritum Sanctum.*** De Eucharistiâ, Joan.

6, 54 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* De Pœnitentiâ, Joan. 20, 22 : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* De Extremâ-Unctione, Jacob. 5, 14 : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei.* De Ordine, II Tim. 1, 6 : *Admoneo te ut ressuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Undè sic : vera propositio nostra, si 1° in textibus citatis productio gratiæ tribuatur sacramentis ; si 2° gratia producta sit gratia sanctificans aut habitualis. Atqui,

1° Productio gratiæ attribuitur sacramentis ; hoc patet ex textibus.

2° Gratia producta est gratia sanctificans : Nam per gratiam baptismalem homo renascitur, sanctificatur, salvatur ; quæ omnia gratiâ sanctificante solâ produci possunt. Per Confirmationem homo accipit Spiritum Sanctum, cujus infusio comitatur donum gratiæ habitualis. Per Eucharistiam homo habet vitam æternam, seu jus ad visionem intuitivam, quod inhæret gratiæ sanctificanti. Per Pœnitentiam et Extremam-Unctionem homo obtinet remissionem peccatorum, quæ fit per gratiæ habitualis infusionem. Per Ordinem christianus accipit gratiam quæ habitualiter manet in eo ; qui character ad solam gratiam habitualem pertinet.

Ergo sex sacramenta citata producunt gratiam sanctificantem. Idem dicendum, ob paritatem rationis, de Matrimonio, cùm sit sacramentum.

Prob. 2ª. *SS. PP.* Tertullianus de resur. carnis, cap. 8: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, et anima consecratur; caro saginatur, ut anima muniatur; caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* S. Joan. Chrysost. homil. 23 in Joan.: *Quod est matrix embrioni, hoc est fideli aqua, siquidem in aquâ fingitur et formatur.* S. Augustinus, tract. 80 in Joan.: *Undè tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat.*

Prob. 3ª. Ex Conc. Trid. sess. 7, can. 6: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis... gratiam... non ponentibus obicem non conferre... anathema sit.* Ibid. can. 8: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam* (justificationem seu gratiam habitualem) *consequendam sufficere, anathema sit.*

Ad 2am p. 1æ q. scilicet: *Qualem gratiam producant sacramenta?*

Præmit. Sacramenta sunt alia mortuorum, alia vivorum. Dicuntur sacramenta *mortuorum* Baptismus et Pœnitentia, quia per se instituta sunt pro eis qui, privati gratiâ, spiritualiter sunt mortui. Cætera verò dicuntur sacramenta *vivorum*, quia per se sunt instituta pro eis qui per gratiam spiritualiter vivunt. — Undè duplicem gratiam producere possunt: *primam*, quâ homo ex injusto fit justus; *secundam*, quâ homo justus fit magis justus.—Sacramenta utramque gratiam possunt producere duplici modo: *directè*, seu vi institutionis suæ; *indirectè*, seu præter institutionem. Quibus positis,

Resp. 1° *Directè* producunt gratiam primam sacramenta mortuorum, gratiam verò secundam sacramenta vivorum.

Prob. 1ª *p.* Sacramenta mortuorum producunt gratiam primam : Siquidem Baptismus à Christo fuit institutus ad remissionem peccati originalis, Pœnitentia ad remissionem actualis. Ergo Christus Baptismo indidit vim remissivam peccati originalis, et Pœnitentiæ vim remissivam peccati actualis. Porro peccatum, sive originale, sive actuale, si sit mortale, non potest remitti nisi per infusionem gratiæ primæ. Ergo Baptismus et Pœnitentia directè producunt gratiam primam.

2ª *p.* Sacramenta vivorum gratiam secundam : Hæc enim sacramenta ordinantur ad conservationem vel augmentum gratiæ ; supponunt proindè peccatum deletum. Ergo Christus his sacramentis indidit vim capacem conservandi et augendi gratiam ; proindè gratiam secundam directè producunt.

2° *Indirectè* producunt gratiam secundam sacramenta mortuorum in eo qui ad ea accedit justificatus ; gratiam primam sacramenta vivorum in eo qui illa suscipit in statu peccati mortalis, cum solà attritione, bonà fide credens se non esse in statu peccati mortalis, vel existimans se esse contritum.

Prob. Ex Concilio Tridentino sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem.

Ergo 1° sacramenta mortuorum gratiam secundam producere debent in subjecto justificato. Alioquin nullam gratiam conferrent : nec primam, cùm suscipiens jàm supponatur justificatus ; nec secundam, ex hypothesi.

Ergo 2° sacramenta vivorum producunt gratiam primam in eo qui ea suscipit in statu peccati mortalis cum solâ attritione, putans bonâ fide se non esse in peccato mortali, vel existimans se esse contritum. Res ità est, si 1. in casu præsenti subjectum nullum ponat obicem; si 2. obice non existente, sacramentum vivorum debeat producere gratiam primam. Atqui 1. nullus ponitur obex; cùm subjectum supponatur in bonâ fide circa indignitatem suam, et cum attritione, quæ cum sacramento sufficit ad consequendam gratiam primam, ut infrà videbitur sub titulo *de Sacramento Pœnitentiæ*. 2. Obice non existente, sacramentum vivorum gratiam primam producere debet. Alioquin nullam gratiam conferret: Non secundam, quæ supponit gratiam primam quâ privatur homo in statu peccati mortalis; non primam, ex hypothesi.

Duas partes continet propositio nostra. — Prima affirmans gratiam secundam accidentaliter produci per sacramenta mortuorum, ab omnibus admittitur. — De secundâ parte, asserente gratiam primam indirectè produci per sacramenta vivorum, variæ sunt theologorum sententiæ. 1° Generaliter admittitur propositio quoàd Extremam-Unctionem, quia videtur insinuata à S. Jacobo: *Si in peccatis sit, remittuntur ei* (1). 2° Item, quoàd Eucharistiam et Confirmationem, à D. Thomâ (2) et pluribus theologis, contra quosdam (3). 3° Item, quoàd

(1) Ità D. Thomas, *supplem.* q. 30, art. 1; Bellarmin. *de Extremâ-Unctione*, c. 8; Suarez, Laymann, etc.

(2) 3 p. q. 79, art. 3, et q. 72, art. 7 ad 3.

(3) Vasquez, in 3^{am}, q. 79, disp. 205, c. 4 et alios quos refert Tournely, *de Euchar.* q. 7.

omnia sacramenta vivorum, à multis contra multos. Probabilior tamen videtur opinio affirmativa propter rationem suprà expositam.

Ad 2um q. scilicet: *Utrùm Sacramenta producant gratiam sacramentalem?*

Præmit. Gratia sacramentalis est jus ad gratias actuales, fini cujuslibet sacramenti accommodatas, in tempore opportuno obtinendas; jus annexum gratiæ sanctificanti per sacramentum collatæ. — Gratia sacramentalis est *jus ad gratias actuales:* non verò gratia actualis ipsa. Ad gratias actuales *accommodatas fini cujuslibet sacramenti:* v. g. accommodatas conservationi vitæ supernaturalis per Baptismum collatæ; accommodatas conservationi virtutum et perfectionum supernaturalium quæ per Confirmationem in animâ deponuntur. *Tempore opportuno obtinendas:* scilicet in his circumstantiis in quibus necessariæ erunt gratiæ prædictæ ad conservandum effectum sacramenti. *Jus annexum gratiæ sanctificanti per sacramentum collatæ:* id est, non independens et in se existens, sed inhærens gratiæ habituali, Quo posito,

Resp. Omnia sacramenta producunt gratiam sacramentalem.

Prob. Res ità est, si 1° præter gratiam sanctificantem sacramenta conferant donum speciale; si 2° istud donum speciale sit jus ad gratias actuales accommodatas fini sacramenti, obtinendas tempore opportuno; si 3° jus illud sit annexum gratiæ sanctificanti. Atqui,

1° Sacramenta conferunt donum speciale: Nam 1. instituta sunt ad fines speciales inter se distinctos, ergo Christus ipsis indidit facultatem conferendi dona spe-

cialia. 2. Si sacramenta non conferrent dona specialia præter gratiam sanctificantem, duplex sufficeret sacramentum, unum ad producendam gratiam primam, aliud ad conferendam gratiam secundam; cætera verò essent inutilia. Porro hæc propositio contradicit sapientiæ divinæ, quæ non potest instituere media salutis inutilia.

2° Donum speciale ab unoquoque sacramento collatum est jus ad gratias: Siquidem hoc donum accommodari debet fini sacramenti, alioquin insipienter egisset Christus. Porro, ut illud donum sit plenè accommodatum fini sacramenti, situm esse debet in jure obtinendi gratias in tempore opportuno, non verò in gratiâ actualiter concessâ. Nam, cùm gratia actualis sit transitoria, si gratia sacramentalis esset gratia actualis, subjectum eâ privari posset eo instanti quo perutilis esset ad conservandum effectum sacramenti; quod incommodum non existit, si situm sit in jure permanenti obtinendi gratias actuales in tempore opportuno.

3° Jus prædictum est annexum gratiæ sanctificanti: Nam jus illud est facultas supernaturalis et permanens; porro facultas in se subsistere non potest, proindèque inhærere debet subjecto supernaturali permanenti. Atqui nullum aliud subjectum præter gratiam sanctificantem his proprietatibus gaudet.

Ad 3^{am} q. scilicet: *Utrùm sacramenta producant characterem?*

Præmit. Character est signum spirituale, indelebile, impressum animæ, quo homo ab aliis distinguitur, et ad divina deputatur.—*Signum:* id est, aliquid distinctivum; *spirituale, indelebile, impressum animæ:* quæ

verba clara sunt; *quo homo distinguitur ab aliis:* ab hominibus scilicet, quibus idem character non fuit impressus per receptionem sacramenti; *et deputatur ad divina :* sic, per characterem baptismalem homo deputatur ad sacramentorum receptionem; per characterem ordinis homo deputatur ad sacramentorum administrationem; per characterem confirmationis deputatur ad fidei professionem. Quo posito,

Resp. Quædam sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem imprimunt.

Prob. p. p. 1ª. Quædam sacramenta producunt characterem : 1° Ephes. 4, 30 : *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* II Cor. 1, 2 : *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.* 2° Hoc deducitur ex probationibus 2æ partis propositionis nostræ.

2ª *p.* Sacramenta characterem producentia sunt Baptismus, Confirmatio et Ordo :

Pr. 1° *Traditione.* De Baptismi charactere sequentia docent Patres: S. Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione ad catech. et iterùm catech. 17, appellat Baptisma *signaculum sanctum et indelebile.* S. Chrysost. homil. 15 in 2 ad Cor. : *Quemadmodùm nota quædam militibus, sic fidelibus Spiritus imponitur: quo fit, si ordinem deserueris, omnibus perspicuus fias. Judæi signaculi loco circumcisionem habebant, nos autem pignus Spiritûs.* S. August. advers. Donatistas probat eos qui ab hæreticis fuerant baptizati non esse rebaptizandos, quia acceperant non hæreticorum characterem, sed Christi. — Confirmationem SS. Cyprianus, Ambrosius,

Augustinus appellant *signaculum spirituale.* — Quoad ordinem, S. Augustinus de non iterandâ ordinatione schismaticorum ait : *Non sunt rursùs ordinandi ; sed, sicut Baptismus in eis, ità ordinatio manet integra.*

2° *Praxi Ecclesiæ.* Baptisma, Confirmationem et Ordinem nunquàm iterat Ecclesia. Ergo supponit ab his sacramentis aliquid causari perpetuum et indelebile, quod nihil aliud esse potest quàm character.

3° Conc. Trid. sess. 6, can. 9 : *Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in animâ, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, undè ea iterari non possunt ; anathema sit.*

Corol. Ex dictis concludendum Baptisma, Confirmationem et Ordinem iterari non posse. Siquidem, cùm character sit indelebilis, hæc sacramenta, si iterarentur, effectu suo principali fraudarentur ; quod admitti non potest. Aliundè Concil. Trid. suprà citatum concludit sacramenta prædicta iterari non posse ex eo quòd producant characterem.

QUÆSTIO III.

Quomodò sacramenta producant effectus ?

Quatuor quæstionibus æquivalet quæstio proposita : 1° Utrùm effectuum productio in sacramentis pendeat nec ne à dispositionibus subjecti ; 2° utrùm fiat ex opere operato, an ex opere operantis, 3° physicè an moraliter, 4° æqualiter an inæqualiter ?

Ad 1um scilicet : *Utrùm productio effectuum pendeat nec ne à dispositionibus subjecti ?*

Not. Per dispositiones requisitas intelligimus contritionem, aut saltem attritionem cum suis antecedenti-

bus, scilicet fide, spe, etc., in sacramentis mortuorum; primam gratiam in sacramentis vivorum, ut suprà explicavimus ubi de dispositionibus et conditionibus prævіis gratiæ.

Quæstio esse potest, vel de charactere, vel de gratiâ.

I. Si quæstio sit de *charactere:*

Resp. Productio characteris non pendet à dispositionibus subjecti.

Prob. 1ª. Si receptio characteris penderet à dispositionibus, character non imprimeretur his qui Baptismum, Confirmationem et Ordinem reciperent absque dispositionibus requisitis. Ergo nunquàm posset recipi, cùm, ex doctrinâ Ecclesiæ, prædicta sacramenta iterari non possint. Porro hoc est inadmissibile: siquidem character Baptismi necessarius est omnibus, character Confirmationis perutilis est omnibus, character Ordinis necessarius est Ecclesiæ ministris.

Prob. 2ª. Propositio nostra ab omnibus Catholicis admittitur.

II. Si quæstio sit de *gratiâ:*

Resp. Actualis productio gratiæ habitualis et gratiæ sacramentalis pendet à dispositionibus subjecti.

Prob. 1ª *p*, Productio gratiæ habitualis pendet à dispositionibus subjecti: Res ità est, si 1. productio gratiæ primæ supponat saltem attritionem cum dispositionibus præviis; si 2. productio gratiæ secundæ supponat gratiam primam. Atqui 1° productio gratiæ primæ supponit saltem attritionem: Concilium enim Tridentinum enumerando dispositiones ad justificationem necessarias, inter quas assignatur attritio, non distinguit inter justificationem concessam extra sacramentum et

justificationem concessam per sacramentum. Proindè conditiones enumeratæ in utroque casu exiguntur. 2° Productio gratiæ secundæ supponit gratiam primam : Nam evidenter impossibile est gratiam secundam produci in eo qui caret gratiâ primâ.

2ª *p*. Item productio gratiæ sacramentalis : Non est enim separata à gratiâ habituali. Ergo illâ deficiente, deficit et gratia sacramentalis.

Explic. Dicimus : *actualis* productio. Homo enim potest aliquandò, ratione sacramenti anteà sine dispositionibus requisitis suscepti, obtinere, modò removeatur obex, gratias sacramentales quas primò non receperat; seu, ut aiunt theologi, gratia sacramentalis aliquandò reviviscere potest, modò amoveatur obex (1).

Gratia sacramentalis aliquandò reviviscere potest.— 1° Hæc propositio certa est quoàd Baptismum (2). Nam, si gratia Baptismi non posset reviviscere, remissio peccati originalis et peccatorum actualium, quæ Baptismum præcesserunt, impossibilis esset ei qui Baptismum absque dispositionibus requisitis suscepisset : hæc enim peccata non remitti queunt per Baptismum, qui non potest iterari ; nec per Pœnitentiam, cùm peccatum originale et peccata actualia ante Baptismum commissa clavibus Ecclesiæ non subjiciantur. Porro hæc impossibilitas remissionis repugnat bonitati et sapientiæ Dei, qui vult omnes homines salvos fieri.

(1) De reviviscentiâ gratiæ sacramentalis, vid. inter alios Collet, qui hanc materiam dilucidè exponit in tract. *de Sacram. in gen.*, cap. 5 *de subject. sacram.* art. 3.

(2) Ità communiter theologi, post S. Augustinum, l. 3 *de Baptismo*, c. 13, et S. Thomam, 3 p. q. 69, art. 10, contra Vasquez, disp. 161, et paucissimos alios.

Undè videre est peccatum originale et actualia ante Baptismum commissa in hoc casu remitti per gratiam Baptismi anteà suscepti, quæ, remoto obice, reviviscit.

2° Propositio probabilissima est quoàd Confirmationem et Ordinem (1). Alioquin, cùm hæc sacramenta iterari non possint, dicendum foret eos qui hæc sacramenta absque dispositionibus requisitis recepissent, per totam vitam privandos esse gratiis per hæc sacramenta productis. Porro hoc videtur repugnare bonitati divinæ, cùm istæ gratiæ sint ad vitam rectè instituendam perutiles.

3° Probabilis est quoàd Extremam-Unctionem (2) et Matrimonium. His enim sacramentis videtur applicanda ratio propositionis immediatè præcedentis; quia Extrema-Unctio iterari non potest, durante eodem morbo, nec Matrimonium, vivente comparte (3).

Modò removeatur obex: — Ut gratia reviviscat in casibus præcedentibus obex debet removeri. Hoc evidens est.

Porro, ad removendum obicem, sufficit ut subjectum habeat attritionem, si accessio ad sacramentum ex parte subjecti non fuerit peccaminosa, id est, si accesserit ad sacramentum bonâ fide credens se esse dispositum. Nam obex consistit solummodò in carentiâ hujus dispositionis; ergo, positâ dispositione, tollitur obex.

(1) Ità D. Thom. in 4, dist. 4, q. 3, art. 2.

(2) Ità D. Thom., loco citato.

(3) Quod ad Eucharistiam et Pœnitentiam spectat, ait Collet, loc. cit., pauci sunt qui ea reviviscere opinentur; nec afferri possent in gratiam eorum reviviscentiæ rationes allatæ pro aliis sacramentis, cùm Eucharistia et Pœnitentia facilè iterari possint.

Requiritur contritio perfecta, aut receptio sacramenti Pœnitentiæ, si receptio sacramenti fuerit mortaliter peccaminosa, id est, si subjectum accesserit ad sacramentum malâ fide, aut si peccatum mortale commiserit post susceptum sacramentum. Siquidem in hoc casu, obex non consistit solùm in absentiâ attritionis, sed in ipso peccato mortali commisso in ipsâ receptione, aut post receptionem sacramenti. Porro, ad removendum obicem peccati mortalis, requiritur contritio perfecta, vel attritio cum receptione sacramenti Pœnitentiæ.

Nota. Reviviscentia gratiæ sacramenti duplici modo explicatur. Quidam dicunt characterem à sacramento productum esse incompletum, nisi ipsi adjungatur gratia, quâ fidelis adjuvetur ad implenda officia ab ipso derivantia. Undè Deus, ad perficiendum opus à se inceptum per impressionem characteris, concedit gratiam sacramentalem.—Sed ista ratio ad summum valet pro sacramentis quæ imprimunt characterem, non verò pro aliis. Undè cæteri theologi dicunt gratiam produci, non per sacramentum, quod jàm non existit ; sed immediatè à Deo, qui eam concedit ratione sacramenti anteà suscepti.

Ad 2um scilicet: *Utrùm productio effectûs sacramentalis fiat ex opere operantis, an ex opere operato?*

(*Ex opere operantis*, id est, ex merito actionis ministri aut suscipientis ; *ex opere operato*, id est, vi quæ sacramento inhæreat.)

Quæstio esse potest vel de sacramentis antechristianis, vel de sacramentis christianis.

I. Si quæstio sit de sacramentis antechristianis :

Resp. 1° Sacramenta Veteris Legis producebant gratiam legalem ex opere operato; id est, per receptionem sacramentorum veteris legis eorum effectus legalis producebatur ipso facto.

2° Quoàd gratiam internam, vel agitur de sacramento per quod delebatur peccatum originale in infantibus, vel de aliis sacramentis.

Si agatur de primo: hoc sacramentum producebat in infantibus gratiam internam quasi ex opere operato, ut ait S. Thomas, quia gratia non oriebatur è dispositionibus subjecti, cùm subjectum in hypothesi incapax esset dispositionum, benè verò è dispositionibus ministri.

Si de aliis: 1° Gratiam internam non producebant ex opere operato. Nam 1. hæc sacramenta erant infirma et egena, testante Apostolo, Galat. 4, 9: *Quomodò convertimini ad infirma et egena elementa*. 2° Concil. Trid. sess. 7, can. 2: *Si quis dixerit ea ipsa novæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; anath. sit.* Porro, excluso discrimine cæremoniarum et rituum, differentia inter sacramenta Antiquæ et Novæ Legis probabilissimè consistit in eo quòd priora produxerint gratiam ex opere operantis, cùm constet eam produci à posterioribus ex opere operato. — 2° Gratiam internam producebant ex opere operantis. Siquidem in omni tempore bona opera conditionibus debitis vestita vim habuerunt meritoriam gratiæ, seu potuerunt producere gratiam ex opere operantis.

II. Si quæstio sit de sacramentis christianis:

Resp. Sacramenta Novæ Legis producunt gratiam ex

opere operato, insuper aliquandò ex opere operantis.

Prob. 1ª *p.* Producunt gratiam ex opere operato: Nam 1º Baptismus, Confirmatio et Eucharistia in primis Ecclesiæ sæculis infantibus administrabantur, approbante Ecclesiâ. Ergo hæc sacramenta effectus producebant in infantibus; alioquin Ecclesia approbâsset actum inutilem, imò sacramentis injuriosum. Porro suos effectus producere non poterant ex opere operantis, cùm infantes sint dispositionum incapaces; ergo eos producebant ex opere operato. A pari de aliis sacramentis, cùm nulla sit ratio discriminis. 2º In textibus citatis, ubi de productione effectuum sacramentorum, productio gratiæ attribuitur sacramento ipsi, non verò dispositionibus subjecti; ergo. 3º Concil. Trid. sess. 7, can. 8: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam.... anathema sit.*

2ª *p.* Insuper producunt aliquandò gratiam ex opere operantis: Siquidem dispositiones subjecti suum habent proprium meritum, si debitis conditionibus vestiantur.

Ex dictis in quæstione præsenti sequitur 1º sacramenta novæ legis esse, ut jàm supposuimus, *causas secundas* gratiæ; 2º dispositiones, quoàd effectum sacramentalem, esse tantùm *conditiones sine quibus* istæ causæ non producerent effectus suos.

Ad 3ᵘᵐ scilicet: *Utrùm productio effectuum sacramentorum fiat physicè an moraliter?*

(*Physicè*, id est, immediatè; *moraliter*, id est, movendo infallibiliter Deum ad concedendam gratiam subjecto sacramenti.)

Resp. Quidam admittunt sacramenta producere ef-

fectus suos moraliter (1). Alii verò admittunt productionem physicam (2).

Probabilior videtur *secunda* opinio. Res ità est, si Deus potuerit materiæ et formæ sacramentorum conferre vim producendi gratiam, et si modus ille sit magis conformis textibus Scripturæ Sacræ et decisionibus Ecclesiæ. Atqui 1° evidens est Deum omnipotentem, qui animam humanam cum corpore intimè conjunxit, potuisse elementis sacramentalibus conferre vim producendi gratiam. 2° Hic modus est magis conformis Scripturæ et decisionibus Ecclesiæ, quæ effectum sacramentalem attribuunt immediatè sacramento, et non Deo.

Ad 4um scilicet : *Utrùm productio gratiæ in sacramento fiat æqualiter an inæqualiter ?*

Resp. Vel sacramenta administrata differunt numero tantùm, ut v. g. duo Baptismi ; vel specie, v. g. Baptismus et Eucharistia.

1° Si differant numero tantùm : gratiam producunt æqualem cùm dispositiones subjectorum sunt æquales; inæqualem verò, cùm dispositiones subjectorum sunt inæquales. Quia sacramenta operantur ad instar causarum naturalium, quæ in subjectis æqualiter dispositis æqualem producunt effectum, inæqualem verò in subjectis inæqualiter dispositis.

(1) Ità Scotistæ post Scot. in 4, dist. 1, q. 5; Melch. Can. *de relect. Sacram.* p. 4 ; Molina, p. 1, q. 45, art. 5; Vasquez, in 3 p. disp. 132; De Lugo, Becanus, Juenin, Tournely, etc.

(2) Ità Thomistæ post D. Thomam, 3 p. q. 62, art. 1; Bellarmin. l. 2 *de Sacram.* c. 11; Suarez, in 3 p. disp. 9, sect. 1; Estius, Maldonat, etc.

2° Si sacramenta differant specie: inæqualem producunt gratiam in subjectis, etiam supposità æqualitate dispositionum. Nam juxta Concil. Trid. sess. 7, can. 3, sacramenta dignitate differunt, ergo effectibus differre debent.

II.

PARS MORALIS.

Pars moralis exponit leges divinas de sacramentis. — Aliæ sunt *generales*, aliæ *speciales* ministro, vel subjecto sacramenti.

I. — LEGES GENERALES.

Resumuntur in propositione sequenti :

Per legem religionis quodlibet factum sacramentis injuriosum prohibetur, omnibus, sub gravi aut sub levi, pro gravitate aut levitate materiæ.

Prob. 1ª *p.* Per legem religionis quodlibet factum sacramentis injuriosum prohibetur: Nam sacramento inest vis producendi gratiam, proindè sacramentum est res sacra; porro per legem religionis prohibetur quodlibet factum rei sacræ injuriosum, ut constat ubi *de lege Religionis.*

2ª *p.* Prohibetur omnibus: Sacramentum enim est de se, ac proindè omnibus venerandum; ergo injuria ipsi irrogata est de se, ac proindè omnibus prohibita.

3ª *p.* Sub gravi aut sub levi, pro gravitate aut levitate materiæ: Nam evidenter patet materiam præsentem admittere gravitatem et levitatem. Porro gravitas

*

aut levitas obligationis in legibus naturalibus proportionem habet cum gravitate aut levitate materiæ.

II.—LEGES SPECIALES.

Aliæ spectant ministrum, aliæ subjectum.

§ I. — DE LEGIBUS SPECIALIBUS MINISTRO.

Duplici propositione continentur, quarum prior spectat ad administrationem ipsam, posterior ad modum administrationis.

PROPOSITIO I[a] (spectans ad *administrationem in se consideratam*). Minister tenetur ex charitate, si non sit pastor, ex charitate et justitiâ, si sit pastor, administrare sacramenta fidelibus ; nisi adsit ratio dispensans. Tenetur autem sub gravi, aut sub levi, proùt materia est gravis aut levis.

Prob. p. p. 1[a]. Minister, *si non sit pastor*, tenetur *aliquandò ex charitate* administrare sacramenta : Siquidem lege charitatis, homo tenetur opitulari in ordine tùm naturali, tùm supernaturali, proximo indigenti, nisi adsit ratio dispensans. Porro fieri potest ut proximus ministri indigeat administratione sacramenti, et minister non habeat rationem dispensantem.

Tenetur ex *charitate* et *justitiâ, si sit pastor:* Ex charitate : ob rationem præcedentem. Ex justitiâ : minister enim functiones pastorales acceptando, se obligat quasi-contractu, ac proindè ex justitiâ, ad subveniendum ovibus suis in necessitatibus supernaturalibus.

2[a] *p. Nisi adsit ratio dispensans :* Adveniente enim ratione dispensante, lex jàm non obligat.

Porro sufficientia, aut non sufficientia rationum dispensationis determinatur communi æstimatione prudentium. — Ad pronuntiandum prudenter, attendendum est 1. ad titulum obligationis ministri : gravior enim, cæteris paribus, ratio requiritur ad dispensandum pastorem quàm alium ministrum ; 2. ad necessitatem subjecti : gravior enim, cæteris paribus, ratio exigitur ad dispensandum in necessitate extremâ quàm in gravi, in necessitate gravi quàm in communi.

Undè 1° minister quicumque, sive sit pastor, sive non, tenetur, etiam sub periculo vitæ, administrare sacramentum necessarium proximo constituto in necessitate spirituali extremâ. Positis enim circumstantiis, periculum mortis non sufficit ad dispensandum ab obligatione subveniendi proximo.

2° Pastor, non verò alius, tenetur cum periculo vitæ administrare sacramentum necessarium ad subveniendum individuo in gravi necessitate spirituali posito. Tenetur pastor : quia quasi-contractus hucusque extenditur. Alius non tenetur : quia vi charitatis solius nemo tenetur sub periculo vitæ subvenire individuo posito in necessitate solummodò gravi.

In hoc tamen casu minister non pastor obligaretur cum levi detrimento erga individuum qui versaretur in gravi necessitate ; cum gravi detrimento erga societatem.

3° Minister, etiam pastor, non tenetur administrare sacramentum subdito irrationabiliter petenti. Sic v. g. non tenetur pastor quotidiè cum scrupuloso et aliis tempus inutiliter terere, quia nec talibus personis, nec sacerdoti expedit tàm frequens confessio.

3ª p. *Tenetur sub gravi, aut sub levi, proùt materia est gravis aut levis;* Evidens est enim hanc obligationem admittere gravitatem aut levitatem materiæ.

Sic peccant graviter pastores animarum, qui sæpè ministerium suum, etiam extra necessitatem, ovibus suis denegant; aut qui se morosos et difficiles præbent; qui subditorum confessiones excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem.

Leviter autem peccaret pastor, qui extra necessitatem uni, vel alteri, aut eidem semel vel iterùm petenti denegaret sacramentum Pœnitentiæ aut Eucharistiæ.

Propositio IIª (spectans *ad modum administrationis*). Minister conficiens aut administrans sacramentum tenetur, sub gravi aut sub levi, proùt materia est gravis aut levis, observare omnia quæ exigunt religio, charitas et justitia.

Quæ propositio evidens est.

Ex illà deducitur solutio quæstionum de obligationibus specialibus ministri. Præcipuas tantùm exponemus.

Obligationes ministri sunt: aliæ *personales*; aliæ relativæ ad *elementa*, ad *subjectum* sacramenti.

I. De obligationibus personalibus ministri.

Quæst. 1ª. *Utrùm, ad licitam sacramentorum administrationem, sanctitas* (exemptio peccati mortalis) *in ministro requiratur sub levi, an sub gravi; utrùm, positâ necessitate sanctitatis, minister teneatur ad præviam sacramenti Pœnitentiæ receptionem?*

Ad 1am quæst. partem,

Resp. Certum est ministrum ad conferenda sacra-

menta consecratum peccare mortaliter contra religionem, si, conscius peccati mortalis, sacramentum solemniter administret extra necessitatis casum. Quia gravem injuriam infert sacramento, et Christo primario sacramenti ministro quem repræsentat.

Controvertitur autem 1° utrùm peccet graviter minister qui, conscius peccati mortalis, confert sacramentum ad cujus administrationem, non est specialiter consecratus.

De hâc quæstione duplex est opinio. *Prima* negat (1). Quia obligatio ad sanctitatem in administratione sacramentorum oritur ex consecratione ministri in ordine ad sacramenta conferenda, non verò ex sanctitate Christi et sacramenti. *Secunda* affirmat, ob rationes suprà expositas (2).

S. Ligorius primam vocat probabilem ; in secundam tamen magis inclinat.

Controvertitur 2° utrùm peccet graviter sacerdos qui, conscius peccati mortalis, administrat sacramentum, sed non solemniter.

Diceretur sacerdos administrare sacramentum *non solemniter*, quandò illud conferret in casu quo laïcus validè et licitè, sacerdote absente, illud administraret. Agitur ergo tantùm de baptismo in casu necessitatis.

Duplex opinio, ut in quæstione præcedenti. Opinio negans hâc ratione nititur scilicet, ministrum conferen-

(1) Ità Concina, Tournely, Nat Alexander, Salm. cum Suarez, Bonacina, etc.

(2) Collet, Croix, De Lugo, Vasquez, etc., apud S. Lig. theol. mor. *de Sacram. in gen.* n. 32.

tem sacramentum non solemniter non agere quatenùs est consecratus (1).

Controvertitur 3° utrùm peccet mortaliter qui, conscius peccati mortalis, administrat sacramentum, urgente gravi necessitate.

Vel minister exercet functiones in quibus necessitas administrandi sacramentum est obvia, vel non.

Si priùs : peccat mortaliter minister. Siquidem ratione functionum tenetur semper esse paratus ad sacramenta administranda. Sic peccarent mortaliter parochus, vicarius, sacerdos ministrans in amplis nosocomiis, obstetrix in quâdam opinione, etc., qui conferrent sacramenta in statu peccati mortalis.

Si posteriùs : *Quidam* affirmant, ob rationes suprà expositas. *Alii* probabiliùs negant, modò periculum adeò sit urgens ut minister actum contritionis elicere non possit. Nam ex unâ parte minister non tenetur ratione functionum suarum ad statum gratiæ permanentem ; ex alterâ parte, juxta hypothesim, periculo adveniente, non potest elicere actum contritionis (2).

Ob paritatem rationis probabiliùs concluditur peccare mortaliter contra religionem sacerdotem qui, conscius peccati mortalis, distribuit Eucharistiam extra Missam, eam defert, vel immediatè vel mediatè tangit ; non peccare autem mortaliter sacerdotem qui concionem habet, diaconum aut subdiaconum qui functiones suas exercet in statu peccati mortalis, quia illi actus et similes non videntur sub gravi exigere sanctitatem (3).

(1) Vid. S. Lig. loco citato.
(2) S Lig. *de Sacram. in gen.* n. 33.
(3) Ibid. à n. 35 ad n. 42.

Ad 2^{am} q. p. scilicet: *Utrùm minister sacramenti conscius peccati mortalis teneatur sacramentum pœnitentiæ præmittere administrationi sacramentorum?*

Resp. Vel agitur de celebratione Missæ, vel de administratione aliorum sacramentorum.

Si de Missæ celebratione: certò tenetur minister ad receptionem pœnitentiæ, saltem ex lege ecclesiasticâ, ut infrà explicabimus sub titulo *de Eucharistiâ.*

Si de aliis sacramentis: duplex opinio.

Prima affirmat. Quia 1. fidelis in statu peccati mortalis tenetur ad confessionem, à fortiori sacerdos administraturus sacramentum. Quia 2. tenetur ad confessionem sacerdos celebraturus, à pari sacerdos administraturus aliud sacramentum. Quia 3. sacerdos sacramentum administraturus debet esse conscius statûs gratiæ; porro hoc est impossibile ei qui reus peccati mortalis sacramentum pœnitentiæ non recipit. *Secunda* probabilior negat. Minister enim nullâ lege tenetur ad receptionem pœnitentiæ. Nec lege naturali: siquidem hoc unum exigit jus naturale, ut minister sit conscius statûs gratiæ; porro hæc conditio verificari potest per contritionem perfectam. Non lege positivâ divinâ: equidem controvertitur utrùm receptio sacramenti pœnitentiæ lege divinâ exigatur ante communionem; sed nihil indè, nam dubium est utrùm hæc necessitas sit à jure divino. Aliundè Deus potuit exigere receptionem pœnitentiæ ad sacramentum Eucharistiæ, quin eam exigat ad alia sacramenta. Nec lege ecclesiasticâ: nulla enim assignari potest (1).

(1) Vid. S. Lig. *de Sacram.* n. 34.

Quæst. 2ª. *Utrùm minister teneatur ad attentionem in actu administrationis sacramenti?*

Resp. Minister tenetur ad attentionem in administratione sacramentorum; sub gravi, in confectione Eucharistiæ; sub levi, in aliis sacramentis.—Tenetur: injuriam enim præberet sacramento; proindè contra religionem peccaret minister, qui cum voluntariis distractionibus sacramentum conficeret. Tenetur sub gravi in confectione Eucharistiæ, ob sacramenti dignitatem. Sub levi, in aliis sacramentis, juxta communem theologorum sententiam, nisi distractio voluntaria ministrum graviter exponat periculo errandi in formâ sacramenti.

Quæst. 3ª. *Utrùm minister possit accipere et exigere stipendium pro administratione sacramenti?*

Resp. Potest, modò stipendium non accipiat in pretium rei sacræ, aut non exigat ultra taxationem ab Episcopo vel consuetudine factam.—Potest accipere stipendium: minister enim jus habet ad convenientem sustentationem. Modò non accipiat stipendium ut pretium rei sacræ: alioquin reus fieret simoniæ, quæ est peccatum ex toto genere suo mortale. Nihil exigat ultra taxationem: alioquin reus esset injustitiæ.

II. De obligationibus ministri relativis ad elementa sacramentorum.

Quæst. 1ª. *Utrùm minister possit adhibere materiam dubiam?*

Resp. Non potest, nisi adsit necessitas administrandi sacramentum.

Non potest: Nam 1. exponeret sacramentum nullitati, huic gravem injuriam inferret; ac proindè pecca-

ret graviter contra religionem. 2° Exponeret subjectum sacramenti privationi effectûs sacramenti, ad quem jus habet promissione implicitâ ministri; peccaret proindè contra charitatem et justitiam.

Nisi adsit necessitas: In hoc enim casu licet exponere sacramentum nullitati, ità permittente Deo qui, cùm instituerit sacramenta propter hominum salutem, censetur potiùs providere fini sacramentorum, seu saluti hominum, quàm medio, seu honori materiali sacramentorum.—Ut autem adsit necessitas, requiritur ut sacramentum sit moraliter necessarium ad salutem subjecti, et absit materia certa.

Quæst. 2ª. *Utrùm minister possit adulterare formam etiam accidentaliter?*

Resp. Non potest. Nam inferret sacramento injuriam gravem aut levem, pro gravitate aut levitate adulterationis, peccaret proindè contra religionem graviter aut leviter pro circumstantiis. — Si adulteratio esset substantialis, minister peccaret insuper contra charitatem et justitiam.

Quæst. 3ª. *Utrùm minister possit iterare sacramentum valoris dubii?*

Resp. Vel adest dubium prudens de valore sacramenti, vel non.

Si priùs: Non solùm potest, sed debet iterare; alioquin subjectum exponeret privationi effectuum sacramenti.

Si posteriùs: Non potest iterare absque gravi peccato; siquidem in hoc casu minister absque ratione sufficienti exponeret sacramentum nullitati.

Nota. Ad pronuntiandum utrùm dubium sit prudens

tui imprudens, attendendum est specialiter ad necessitatem sacramenti. Sic iterandus est Baptismus et Ordo, etiamsi pro valore administrationis militet magna probabilitas. Sic major probabilitas requiritur ad iterandam absolutionem pœnitenti reo peccati venialis tantùm, quàm si pœnitens versaretur in statu peccati mortalis.

Quæst. 4ª. *Utrùm minister possit administrare sacramentum cum intentione conditionali; et, in hypothesi affirmativâ, utrùm conditio exprimi debeat?*

Resp. Ad 1ᵃᵐ part. Minister potest administrare sacramenta cum intentione conditionali, modò adsit causa gravis. Nam per collationem sacramenti sub intentione conditionali providetur, tùm bono subjecti, qui ad sacramenta accedit, ut evidens est; tùm reverentiæ sacramenti, quia, tali positâ intentione, si non adsint conditiones validitatis, minister reverà non vult administrare, nec proindè administrat sacramentum.

Ad 2ᵃᵐ part. Necesse non est ut exprimatur conditio, nisi illud præscribat rubrica, ut in Baptismo.

III. De obligationibus ministri relativis ad subjectum.

Quæst. 1ª. *Utrùm minister possit administrare sacramentum indignis petentibus?*

Not. Nemini dubium est confessarium nullo modo posse uti notitiâ per confessionem acquisitâ ad deneganda sacramenta indignis.

Resp. Vel peccator est publicus, vel occultus.

Publicus censetur peccator, cujus indignitas notoria est *jure*, seu sententiâ judicis, *facto*, seu cùm nullâ tergiversatione celàri potest. *Occultus* est autem peccator,

si indignitas nec jure, nec facto notoria sit. Item probabiliùs censeri debet occultus in loco petitionis, peccator cujus indignitas ibi ignoratur, quamvis sit publicè in a io loco.

1° Si peccator sit publicus : — Minister tenetur sub gravi ipsi denegare sacramentum, sive petat publicè, sive occultè. Attamen adest exceptio, si agatur de sacramento pœnitentiæ, vel si indignitas subjecti nota sit solâ viâ confessionis.

In genere tenetur denegare : siquidem, administrando sacramentum, absque ratione concurreret profanationi sacramenti, malo spirituali subjecti sacramentum polluentis, scandalo testium violationis ; peccaret proindè graviter contra religionem et charitatem.

Adest exceptio 1. si agatur de pœnitentiâ ; illud enim sacramentum pro peccatoribus institutum est ; 2. si indignitas nota sit solâ viâ confessionis ; alioquin violaretur sigillum confessionis.

2° Si peccator sit occultus : — vel petit occultè, vel publicè.

Si *occultè* : Minister tenetur sub gravi denegare sacramentum, propter rationes superiùs expositas.

Si *publicè* : Administrandum est sacramentum ; nisi, inquit S. Ligorius, agatur de sacramento Ordinis.

Administrandum est sacramentum : Nam 1. licet ponere actionem de se bonam, quamvis sit occasio mali, cùm adsunt rationes sufficientes. Ergo licet administrare sacramentum indigno occulto publicè petenti, si actio ministri in hoc casu sit bona, simplex occasio mali, et adsint aliundè rationes sufficientes. Atqui actio ministri, seu administratio sacramenti, est in se bona ;

hoc evidens est. Est simplex occasio mali : siquidem sacrilegium non oritur directè ex actu ministri, benè verò ex malâ voluntate subjecti sacramento abutentis. Adsunt rationes sufficientes : scilicet incommoda quæ sequerentur è sacramenti denegatione, scandala et perturbationes in Ecclesiâ, periculum amovendi à sacramentis fideles metu diffamationis, etc. 2. Rituale Romanum, titulo *de Eucharistiâ*, hæc habet : *Occultos peccatores, si occultè petant, et eos non emendatos agnoverit* (minister) *repellat; non autem, si publicè petant, et sine scandalo illos præterire nequeat.*

Nisi agatur de ordine : Nam indignus repelli debet, inquit S. Ligorius, n. 52, etiam cum infamiâ, ob bonum publicum privato præferendum.

Quæst. 2ª. *Utrùm liceat simulare administrationem sacramenti, ne indigno conferatur?*

Resp. Vel agitur de simulatione in quâ minister adhiberet materiam nullam, aut formam pronuntiaret absque intentione conficiendi sacramentum, vel de simulatione in quâ minister verbis formæ alia verba substitueret.

Si priùs : Graviter illicita est simulatio. Nam 1. injuriam gravem infert sacramento. 2. Damnata est ab Innocentio XI propositio sequens : *Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi.*

Si posteriùs : licita est simulatio ad occultandam alienis indispositionem subjecti, modò minister deceptionem non intendat. Licita est simulatio : Nam per hujusmodi simulationem, minister nec violat sacramentum, quod reverà non administrat, nec mentitur, sed solummodò præbet eum ratione sufficienti occasionem

erroris. Sic v. g. licet confessario super indispositum subjectum aliquid orare et dare crucem, ne ejus indispositio prodatur. Modò minister deceptionem non intendat: alioquin mendacii saltem formalis reus esset.

§ II.—DE LEGIBUS SPECIALIBUS SUBJECTO.

Duplici propositione continentur, quarum prior spectat ad sacramentorum receptionem, posterior verò ad modum receptionis.

Propositio I[a] (spectans ad ipsam *receptionem* sacramentorum). Subjectum sub gravi tenetur recipere quædam sacramenta necessitate medii, quædam necessitate præcepti.

Necessitate *medii* tenentur recipere Baptismum in re aut in voto, omnes homines; Pœnitentiam in re aut in voto, qui commiserunt peccatum mortale.

Necessitate *præcepti* tenentur recipere Confirmationem et Eucharistiam, omnes adulti; Extremam-Unctionem, qui sunt in periculo mortis; Ordinem, qui ad exercendas functiones sacras destinantur; sacramentum Matrimonii, qui volunt inire matrimonium.

Quæ omnia sub titulis specialibus de sacramentis explicabuntur.

Propositio II[a] (spectans ad *modum* receptionis). Subjectum recipiens sacramentum tenetur sub gravi aut sub levi, prout materia est gravis aut levis, ad omnes conditiones et circumstantias, quas exigit religio ad dignam receptionem.

Quæ propositio probatione non indiget.

Indè solvuntur quæstiones sequentes de obligationibus subjecti, sive personalibus, sive relativis ad ministrum.

I. De obligationibus personalibus subjecti.

Quæst. 1ª. *Utrùm subjectum recipiens sacramentum teneatur ad sanctitatem; et, in hypothesi affirmativâ, utrùm teneatur ad sacramentum pœnitentiæ?*

Resp. Ad 1am q. p. Vel agitur de sacramentis mortuorum, vel de sacramentis vivorum. Si priùs, non tenetur ad sanctitatem; si posteriùs, tenetur.

Ad 2am. Tenetur ad sacramentum pœnitentiæ, si recipienda sit Eucharistia.

Controvertitur, si recipiendum sit aliud sacramentum. Vid. superiùs quæ dicta sunt de sanctitate ministri.

Quæst. 2ª. *Utrùm subjectum teneatur ad attentionem?*

Resp. Affirm. Qui enim sacramentum reciperet cum distractionibus voluntariis ipsi injuriam irrogaret.

II. De obligationibus subjecti relativis ad ministrum.

Quær. *Utrùm subjecto liceat petere sacramentum à ministro indigno?*

Resp. Non licet, nisi adsint rationes sufficientes.— Non licet: subjectum enim præberet absque ratione sufficienti occasionem violationi sacramenti et peccato ministri. Nisi adsint rationes sufficientes: nam petitiò est de se bona, naturâ suâ non incitat ad malum; est ergo mera occasio mali. Porro licet ponere occasionem mali cum rationibus sufficientibus.

Gravitas rationis crescere debet pro indignitate ministri. Sic liceret recipere sacramenta à ministro indigno, sed non censurato, si urgeret præceptum con-

fessionis et communionis ; si ex dilatione susceptionis immineret periculum lapsûs ; si subjectum indigeret perito directore, et alium habere non posset, nisi post longum tempus, etc. Graviores requiruntur rationes, si minister sit censuratus toleratus. Gravissimæ, id est, necessitas extrema, vel saltem gravissima, si minister sit censuratus non toleratus.

III.

PARS DISCIPLINARIS.

Obligationes ministro et subjecto per legem ecclesiasticam impositæ propositionibus sequentibus continentur :

1ª. Minister, vi legis ecclesiasticæ, tenetur administrare sacramenta quandò subjectum tenetur eâdem lege ea recipere. Siquidem hæc duo sunt correlativa.

2ª. Subjectum tenetur recipere sacramenta quorum receptio præscribitur ab Ecclesiâ. Ecclesia enim potest præcipere ea quæ judicat necessaria et utilia ad bonum spirituale fidelium.

Sub titulis *De Sacramentis in specie*, indicabuntur sacramenta quorum receptio ab Ecclesiâ præcipitur.

3ª. Minister in administratione, et subjectum in susceptione sacramentorum, tenentur ad ritus præscriptos ab Ecclesiâ. Concil. Trid. sess. 7, can. 13, hæc ait : *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à minis-*

tris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

Ritus autem adhibendi in administratione et receptione sacramentorum in libris ritualibus continentur.



INDEX ANALYTICUS.

DE EXPOSITIONE THEOLOGICA.

DE DOGMATICA.

I.—DE DOGMATE

IN GENERE.

CAPUT II.

De regulis actûs fidei.

CAPUT III.

De relationibus generalibus actûs fidei cum suis regulis.

II.—DE DOGMATE

IN SPECIE.

I. — DE ACTIBUS DIVINIS AD INTRA.

DE TRINITATE.

CAPUT I.

De existentiâ Trinitatis.

CAPUT II.

De proprietatibus.

II. — DE ACTIBUS DIVINIS AD EXTRA.

DE PROVIDENTIA.

QUÆSTIO I.

Utrùm Deus provideat homini, quatenùs homo est ens morale?

QUÆSTIO II.

Quibus actibus Deus provideat homini in ordine morali?

I.—DE ACTIBUS *ANTE* TEMPUS.

ACTUS PRIMUS.

Inter status possibiles Deus eligit statum homini assignandum.

ACTUS SECUNDUS.

Deus vult hominis salutem, mediaque ad eam consequendam necessaria.

ACTUS TERTIUS.

Deus prædestinat alios ad gloriam, alios ad pœnam æternam.

I. — DE PRÆDESTINATIONE propriè dictâ.

ACTUS SECUNDUS.

Deus permittit lapsum hominis.

ACTUS TERTIUS.

Deus reparat hominem per Christum.

I.

De reparatione præparatâ.

II.

De reparatione adimpletâ.

I.—De existentiâ incarnationis.

II.—De proprietatibus Verbi incarnati.

DE SACRAMENTIS.

DE SACRAMENTIS

IN GENERE.

§ 3. — De effectibus.

II. — PARS MORALIS.

§ 1. — Leges generales

III.—PARS DISCIPLINARIS.

ERRATA.

Pag.	Lin.	
27	10	*loco* cuilibet alio, *lege* cuilibet alii.
47	31	*loco* sumptos, *lege* sumptas.
51	22	*loco* Verbum, *lege* Verbo.
55	19	*loco* Ergo, *lege* Ego.

